PRO SANCTI BONAVENTURÆ
PANEGYRICO.
MONITUM.

Glorioſus Seraphici Doctoris titulus, quo Sanctum Bonaventuram decoravit Eccleſia, non innuit ſolum quanti apud illam ſit meritum ejus, verum etiam elogium hoc aliis quibuſque omnibus æquiparari. Itaque quin hic morer diu explicandis rationibus, quibus illuſtris hæc qualitas comprobetur, quæ panegyrici materia futura eſt, ſatis eſt animadvertere, quod licet jam attulerimus in medium D. Thomam Aquinatem tanquam prototypum Doctorum omnium, hoc tamen non adverſatur menti meæ, quæ ſane eſt hoc in volumine loquendi de ſanctis, qui notiores ſunt, & diverſi characteris, cum Angelico Doctore Seraphicum Sanctum Bonaventuram conjungere: ſpero enim, licet hæc adſit conformitas occupationum, laborum, & meritorum, quibus uterque ſibi Eccleſiam demeruerunt, atque idem ſtudiis commercium, & amoris, quod inter utrumque interceſſit; ſpero inquam, quod utriſque commune eſt non prohibiturum, quominus quod huic proprium eſt, & ſingulare, ſufficere poſſit ad elogium hujus proprium, & ſingulare exornandum. Tandem enim dubitari non poteſt, quin modus, quo ille omnia obiit ſibi demandata officia, & honores ad quos evectus fuit, Generalis totius Ordinis, Epiſcopi, & Cardinalis, non contulerint occaſionem eidem exercendi virtutes proprias horum ſtatuum diverſorum, præter eminentes, quas animo conſtanti rejecit, dignitates, quæ illum ad gloriæ faſtigium coram Deo, & hominibus evexerunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum Structuræ hujus Argumenti.

In ſcientia ſua juſtificabit juſtus iſte ſervus meus multos, Iſaiæ 53.

I. ITa olim Iſaias Propheta loquebatur, cum divino Spiritu animatus hominibus prædicabat infinita bona, quæ illis Meſſias erat collaturus, Nonne diceres prophetiam hanc in Jeſu Chriſti perſona adimpletam, noviſſimis Eccleſiæ temporibus iterum fuiſſe completam; Deum, qui videt, & vocat ſecundum Apoſtolum ea quæ non ſunt, tamquam ſi eſſent, qui per æternæ ſapientiæ ſuæ lumina penetrat denſiores futurorum tenebras, cui perſpicua, & divina præſcientia aperuit illos, quos providentia ab æterno elegit futuros conformes imagini Filii Dei; nonne diceres, inquam, nobis exhibere voluiſſe pium, ſanctumque doctorem Bonaventuram, Eccleſiæ lumen, Crucis diſcipulum, Virum in tota vitæ ſuæ ratione æquiſſimum, ſimplicem in luminibus, humilem in dignitate, pauperem in Eccleſiaſticorum honorum perfruitione, modeſtum in purpura, zelotem in difficillimorum Eccleſiæ negotiorum adminiſtratione; hominem adeo perfectum in via ſalutis, adeo in ſcientia Jeſum Chriſti profundum, & ſcientiæ, & ſanctitatis ſtudio adeo numeris omnibus abſolutum, quo uſus eſt Deus ad tot alios juſtificandos: *In ſcientia ſua juſtificabit &c.* Ne putetis hoc loco, me ad inſtruendum par gloriæ ejus elogium, eum commendare a muneribus, honoribus, dignitatibus, quas poſſet: quod amplum eſt coram hominibus, ſæpe coram Deo eſt abominabile; & Sancti, cujus generis eſt Bonaventura, non æque laudandi ſunt, quod illas poſſederint, ac quod flocci fecerint. Igitur panegyricæ orationis meæ argumentum petendum eſt mihi ex ea ſcientia, quæ fundamentum fuit ſanctitatis ejus. Verum ut hoc fiat ordinatim, animadvertite:

1. Sancti Bonaventuræ ſcientiam ex precibus, ac ſtudio crucis hauſtam illi fuiſſe cauſſam ſanctitatis.

2. Scientiam illius virtutibus ſuffultam cauſſam fuiſſe ſanctitatis aliis.

3. Scientiam zelo ejus animatam, cauſſam fuiſſe ſanctitatis, & gloriæ Eccleſiæ. *Ex MSſ. Sermone.*

II. *Homini bono in conſpectu ſuo, dedit Deus ſapientiam, & ſcientiam, & lætitiam.* Eccl. 2. Nonne voluiſſe videtur Eccleſiaſticus his verbis nobis proponere veram imaginem S. Bonaventuræ Doctoris, de quo dici poteſt,

1. Fuiſſe gloriam & ornatum ſtatus religioſi per ſapientiam, quam oſtendit in conſpectu Dei & hominum, 1. Conferendo ſe Domino in hoc ſtatu, licet tot illi adverſarentur obices in ſua familia. 2. Triumphando de variis tentationibus, quibus laceſſitus fuit. 3. Modeſtiam, humilitatem, ac ſedulam regulæ obedientiam ſervando: *Dedit Deus ſapientiam.*

2. Oſtendi poteſt Sanctum hunc Doctorem fuiſſe gloriam, & ornamentum Eccleſiæ, quoad vixit, 1. Per univerſalem ſcientiam; nullum enim vel Scholaſticæ, vel Moralis Theologiæ argumentum, aut difficultas illum fefellit. 2. Quia ſcientia ipſius ab omni errore fuit immunis; quia nihil fuit veritati magis conforme, quam tractatus Dogmatici, Polemici, & Morales, quos tanta edidit cum laude.

3. Oſtendi denique poteſt illum fuiſſe gloriam, ornamentum, & lætitiam Eccleſiæ; quandoquidem hæc per illum de præteritis, præſentibus, futuriſque hereticis triumphavit, quandoquidem juſtis quidem certos propoſuit canones, per quos in pietate confirmarentur, peccatoribus vero regulas, quarum ope in pœnitentiæ vias reverterentur: *Dedit illi Deus lætitiam. Ex Sermone MS.*

III. *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, Joann. 5. Hæc duo verba, quibus compendioſe continetur elogium maximi, atque Sanctiſſimi inter omnes homines, eadem ſunt, quibus ratus ſum me complecti poſſe Seraphici Doctoris Panegyricum, cujus hodie memoriam recolitis, neque alia mihi invenire datum fuit, quæ melius exprimerent characterem illius Sancti, qui ſimul abſumptus fuit puriſſimis ardoribus Caritatis, & maximis cognitionibus præditus, ita ſimul conjungens ſcientiam elatiſſimam cum ardentiſſima caritate, eaſque perfectiſſime poſſidens ſatis digne obtinuerit locum, quem illi Sanctos inter Doctores tribuit Eccleſia. Illud vero ſupra quaslibet laudes eum attollit. nempe arctum fœdus illud, quo ſublimem ſcientiam cum pietate, & devotione conjunxit, quod illi Seraphici Doctoris nomen comparavit; deinde vero hujus, licet admirabilis, ſcientiæ fœdus cum altiſſima humilitate, quæ illi adquirere debebat nomen Doctoris humilis ſimul, atque illuminati: *Lucerna ardens, & lucens*; Hæc fax Eccleſiæ non minus ardoris habuit, quam lucis propter hoc fœdus numquam ſatis celebrandum. Noſtis enim hoc eſſe contra ſcientiam ſatis commune præjudicium, in plurimis experientia duce probatum; ſcientiam videlicet hinc quidem exſiccare cor, & devotionem minuere, inde vero mentem inflare eamdem implendo exiſtimatione ſui ipſius, quemadmodum teſtatur Apoſtolus. Inde igitur Magni hujus Doctoris Sanctitas claruit.

1. Quia inde quidem ſcientiam cum tenera pietate, & ardenti caritate conſociavit:

2. Hinc autem illam cum altiſſima humilitate conjunxit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

IV. *Dedit illi Dominus ſcientiam Sanctorum.* Sap. 1. Sanctus ille Doctor, cujus elogium texendum aggredimur, unus ex illis eſt, qui præ ceteris melius divinam hanc ſcientiam perceperunt. Dici quidem poteſt, Deum illi dediſſe Scientiam Sanctorum, quoniam ſimul ſanctus, & ſciens extitit, quia numquam ſcientiæ ſuæ ſpecimen præbuit, quin & virtutis ſuæ præberet; & quia omnia illius opera magis ædificant, quam erudiant. Dicitur vulgo, Scientiam inflare cor, non alere; facem quidem præferre illis, qui eadem carentes, in aliis eam coruſcare vident; ſed plerumque perſtringere poſſidentes illam. Injuria quidem probrum hoc in divinum lumen rejicitur, quod ex eodem manavit fonte, qui Verbum Æternum edidit, & quod Deus hominibus largitus eſt, ut eos ſibi quam ſimillimos redderet. Tantum hoc mali nequaquam acceptum referendum eſt ſcientiæ. Docti ſuperbi eſſe poſſunt, ac parum pii; ſed ſi parum ſemetipſos norunt, ſi parum diligunt Deum, quem tamen perfectius, quam alii cognoſcunt; ridiculum ſane eſſet, eorum ſcientiæ ſuccenſere, cujus eſt lucem præferre, & illuminare. Verum quidem eſt infirmos ſpiritus, parumque ſolidos inflari ſcientia, & corda impura, & terreſtria exſiccari; ſed illa prorſus oppoſitos effectus gignit, ubicumque alias invenit affectiones, & ſtudia. Sanctis ſuimet ipſorum contemptum inſpirat, illis Jeſu Chriſti amorem immittit; eos in humilitate confirmat; eorumque animabus fervoris inſtaurationem tribuit, quo dies magis magiſque ſanctificantur. Neque dixeris ſcientiam Mundi alterius eſſe naturæ, ac illam Sanctorum; ſed inde hoc fiet, quia Sancti ſcientia non abutuntur, & bene uti norunt ea re, qua Mundus conſuevit abuti. Mens igitur fert, vobis in duplici parte Panegyricæ Orationis in S. Bonaventuræ laudem vobis oſtendere, neque ſcientiam illius animum inflaſſe, neque ſcholam cor illius exſiccaſſe. Videlicet, humilitatem ejus nequaquam ſuffocatam fuiſſe multitudine pulcrarum, & ſublimium cognitionum, & pietatem non receſſiſſe ab illo in ſtudiis ipſis ſpinoſiſſimis, & modicæ fecunditatis.

1. Oſtendam igitur illum antonomaſtice appellandum eſſe Doctorem humilem, & pium, quoniam profundiſſimam humilitatem cum altiſſima doctrina conjunxit;

2. Et ſimpliciſſimam, atque tenerrimam pietatem cum admirabili ſubtilitate conſociavit.

Hoc totum eſt encomii illius argumentum. Omnes eruditi viri tenent, Sanctum Doctorem hunc Scripturæ, & Scholæ ſcientiam ad altiſſimum gradum perduxiſſe; ex magiſtris omnibus, qui ante illam docuerunt, paucos præditos extitiſſe æque ſublimi, ac perſpicaci ingenio, & neminem fuiſſe, qui tantam ſoliditatem cum tanta ſublimitate conjunxerit, vel majorem felicitatem, ac methodum cum tanto acumine. *La Colombiere.*

V. Jure affirmari poteſt de S. Bonaventura, quod *dedit illi* Deus *ſcientiam Sanctorum*; *honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius*, & oſtendi,

Primum S. Bonaventuram ſingularibus fuiſſe gratiis præventum; quia 1. Editus fuit a piis parentibus, qui pie, ſancteque inſtituere adniſi ſunt; qui a tenera pueritia illum S. Franciſci diſciplinæ ſubjecerunt, ejuſque Ordini devoverunt, cujus amorem, ac guſtum in anteceſſum eidem injecerant. 2. Quia illi inſeruit Deus ſtudia, & affectus erga virtutem; amorem ſolitudinis, humilitatis, mortificationis, omniumque Chriſtianarum virtutum.

Secundo. Dedit illi ſcientiam Sanctorum. 1. Ingenium ſublime, perſpicax, & aptum ad omnia facillime perdiſcenda. 2. Cor vaſtum, ad veritatem converſum, cui præter illam nihil ſapere poterat, & quod non niſi veritatem diligebat, & habebat in pretio.

Tertio. Honeſtavit illum Deus in laboribus ipſius tribuens illi, 1. Ignitos ardores Seraphim, quæ cauſſa eſt, propter quam hoc titulo eum decoravit Eccleſia. 2. Lumina & puritatem beati hujus Spiritus. 3. Et cum his talentis adeo inſignibus, & egregiis profundiſſimam conjunxit humilitatem, quæ illorum fuit tamquam Cuſtos, atque ſervatrix: *Dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Recens Auctor.*

VI. Magni hujus Doctoris S. Bonaventuræ laus texi poteſt ſecundum illa Evangelii Verba, quibus ad vivum exprimitur, quoniam verba, & opera, theoriam, & praxim ſimul conjungere novit: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Illum ergo ſub duplici aſpectu poſſumus intuere.

Primo, tamquam perfectum Religioſum; obſervavit Regulam, quam aliis prædicavit; nulla enim, neque rationabili etiam de cauſſa, neque ſtudiorum ſuorum prætextu, neque Magiſterii ſui labore improbo, quo alios docere cogebatur, ullam uſpiam ſibi diſpenſationem admiſit.

Secundo, tamquam Doctorem eximium. Neque enim in eo conſiſtit, ut ſublime ingenium ſuum oſtentaret, ſed 1. Contemplationem actioni addidit, & ſtudium præclaro virtutis exemplo. 2. Doctoribus ipſis viam aperuit ſcientiam cum humilitate conjungendi, quod perrarum eſt; & unctionem cum elatiſſimis luminibus, non per canones quidem mere theoreticos, ſed eos, quorum in ſemet ſedulam praxim expreſſerat. *Auctor Recens.*

VII. *Mortuus eſt Pater, & quaſi non mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Eccli. 30. Mirum vobis nequaquam videatur, ſi S. Bonaventuræ habiturus elogium, hæc mutuor ſacri textus verba, ut vobis oſtendam hunc filium eſſe prorſus ſimilem parenti ſuo, Magno videlicet, ac Seraphico Aſſiſinati Franciſco, quem cum exhibuerit mente, corpore, conſiliis, operibus, illum modo repræſentat in Cœlo; ubi agnoſcitur tamquam viviſſima, & abſolutiſſima heroicarum virtutum ejus imago. Tamen quin quidquam de laudibus S. Patris Franciſci deteram, vel imminuam, illi alterum ſubdo, qui ſpiritum ipſius inſtauravit, vitæ auſteritatem imitatus eſt, ejuſque ingentia conſilia ſubſecutus. Non deeſſe in natura quamdam ſimilitudinem parentes inter & filios, veritas eſt nimis perſpicua; ita ut in dubium revocari minime poſſit; noſſe ſufficit alterum alterius imaginem a Philoſophis nuncupari: *Proceſſio viventis a vivente, in ſimilitudinem naturæ*; & experientia magiſtra cognoſcimus, hanc ſimilitudinem uſque ad oris lineamenta procedere, & affectuum, ſtudiorum, atque votorum conformitatem. Fert animus hodierna die vobis oſtendere, hoc ipſum in virtute, & ſanctitate deprehendi, exhibendo vobis S. Franciſci filium Seraphico patri ſuo ſimillimum; eoſdem quippe habuit interiores ſenſus, eaſdem vitæ rationes exteriores, eoſdemque in factis, conſiliiſque ſucceſſus. Atque ut vobis apertius meam vobis mentem aperiam, non utique mihi propoſitum eſt utrumque vobis ob oculos ſtatuere, & comparationem affectatam, elaboratamque inſtituere, ut in iis omnia deprehendatis lineamenta ſimilitudinis ſingillatim; ad id enim utriuſque celebrandum eſſet encomium: ſed tantum oſtendere, quomodo præcellentes virtutes, & quæ præ ceteris in S. Franciſco nituerunt, viſæ fuerint aliquanto poſt refloreſcere in perſona Seraphici Doctoris, qui Inſtitutoris ſui ſedulo veſtigia legens, ad ſimilem Sanctitatis gradum pervenit.

Prima eſt humilitas, quæ animum eorum prorſus ſimilem præſtitit, & per abjectiſſimos de ſemetipſis ſenſus, per eamdem annihilationem, & ſecretæ vitæ ſtudium, ut noniſi a Deo tantum dignoſcerentur.

Altera eſt mortificatio, & amor crucis, qui perfectiſſimam peperit corporum ſimilitudinem per magnam auſteritatem, ac rigores, qui ſtuporem cient.

Tertia denique zelus eſt, & fervor, qui oſtendit eadem ſtudia, & animi affectiones in ipſorum conſiliis, & actibus prorſus conformibus. Quippe Sanctus hic in Ordine ſuo inſtauravit primum fervorem, qui ſenſim dilabebatur: & hic zelus in omnem ſe ſe effudit Eccleſiam, de qua non uno in loco per quam optime meritus fuit. Hæc erit hujus Sermonis partitio. *Sermo MS.*

VIII. Pro textu, & diviſione Sermonis deſumi poteſt locus ille *Pſalmi* 118. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me*; ad oſtendendum

1. *Bonitatem*, hoc eſt naturam bonam, cor rectum, propenſionem ad virtutem, magnamque innocentiam, quæ omnia *bonitatis*, nomine indigitantur.

2. *Diſciplinam*, amorem ordinis, & regularum in tuendo fervore, & primo ſpiritu regulæ S. Franciſci, quam fuerat amplexus; mox etiam in corrigendis abuſibus, qui in mores obreperant, denique in procuranda conſenſione, quæ tantopere concupita fuerat Eccleſiæ Latinæ cum Græca.

3. *Et ſcientiam*, profundam eruditionem, admirabilemque omnium ſcientiarum cognitionem, quam cum ſingulari pietate conjunxerat.

IX. Conſiderari poteſt S. Bonaventura in triplici ſtatu, ad quem divinæ placuit Providentiæ illum arceſſere, & cujus munera obiit abſolutiſſime.

Primum in ſtatu Religionis, cui libentiſſime ſe ſe addidixit. 1. Sibi penitus abrenuntians, ut Evangelicam humilitatem complecteretur. 2. Perfecte ſe mortificans exacta regularum obſervantia; 3. Humillimis domus officiis ſe ſe ſubjiciens.

Secundo in ſtatu Doctoris, ad quem a Deo evocatus, ut aliis præeſſet, 1. Se ipſum omnibus replevit ſcientiis, eas fratribus ſuis communicaturus. 2. Conatus eſt humilitatem cum altiſſima eruditione conjungere. 3. Studio eodem, & oratione uſus eſt, ut æque lumine, ac caritate proficeret.

Tertio in ſtatu Epiſcopali, & inter Cardinales adlectus, ad quem ſe ſublatum videns, 1. Uſus eſt hac dignitate, ut fieret humilior. 2. Ut populorum converſioni cooperaretur. 3. Ut zelum ſuum magis inflammaret, & de Eccleſia melius in dies mereretur, quod perfecte executus eſt, Latinam cum Eccleſia Græca conjungens.

X. Oſtendere poſſumus S. Bonaventuram æquiſſimo jure promeritum fuiſſe Doctoris Seraphici titulum, quo illum inſignivit Eccleſia,

1. Propter ardentem amorem, quo ſuccenſus fuit, & cujus tot præbuit monumenta in ſcriptis ſuis, totaque vitæ ratione.

2. Eo quod eodem ardore plurimas inflammaverit animas ſuis prædicationibus, operibus, & exemplis.

PARAGRAHUS II.

GErſon in ſcriptis ſuis paſſim non cum laude tantum de hoc S. Doctore verba fecit, ſed illum etiam præfert pluribus, iiſque eximiis Theologis, qui in Pariſienſi facultate enituerunt, quia in omnibus operibus ſuis pietatis unctionem cum Scholæ doctrina conjunxit. *Auctores qui de S. Bonaventura verba faciunt.*

Patet quanti illum fecerit S. Thomas Aquinas, ſe ſe lectionibus ejus aſſiduum præbens auditorem, licet illius non eſſet Diſcipulus, illum viventem adhuc Sanctum compellans; illi obſequens, & cum eodem ſcientiæ, ſanctæque amicitiæ conſuetudinem fovens.

Alexander Halenſis: qui illius in Theologicis ſtudiis inſtitutor fuit, & in cujus locum ille poſtmodum fuit ſuffectus, ingenii ejus ſoliditatem, & magnitudinem admirabatur, ſed multo magis morum integritatem, & dicere conſueverat, videri, Adam in illo non peccaſſe.

Trithemius & Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſ.* de eo magna cum laude verba faciunt.

Spondanus, Bſovius, Raynaldus *in Annalibus Eccleſ.*

VVadingus. *In Annalibus*; *& Bibliothec. Minorum.*

Sanctus Antoninus, Volaterranus, Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Auberius, Theophilus, Raynaudus, Dupinus Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum.

Enſchenius & Papebrochius. In Actis Sanctorum.

Surius, Ribadeneira, Baillet die decima quarta Julii, qua Sancti hujus Doctoris feſtum diem recolit Eccleſia. *Scriptores vitæ illius*

Operum ab ipſo ſcriptorum numerus atque index peti poteſt a Dictionario Hiſtorico Morerii.

Granatenſis tractatu primo de Oratione refert auctoritatem S. Bonaventuræ, de virtute, ac præſtantia Orationis.

Idem illius profert auctoritatem, ubi inquirit modum, quo noſmet gerere debemus in dono lacrimarum, & meditatione mortis, & paſſionum J. C. *Aſcetici.*

Idem laudat, & refert ejuſdem ſententiam & frequenti Communione lib. 3. Memorialis, & mox præclarum Sancti hujus elogium.

Idem c. 21. Memorialis loquitur de deliciis, quibus perfundebatur hic Sanctus in meditatione paſſionis Domini.

P. Novet inter meditationes de vita J. C. in Sanctis ſuis unam habet pro die 14. Julii, qui S. Bonaventuræ Sacer eſt.

P. De la Colombiere tomo 2. Sermonum, unum habet hujus argumenti. *Concinatores recentes.*

Auctor quoque Sermonum in omnia argumenta, pariter unum.

P. Duneau tomo ſecundo Panegyricorum.

Molinier tomo 3. Sermonum in feſtos Sanctorum dies.

Deficientibus aliis Sermonum ſcriptoribus, ad argumentum hoc pertractandum ad MS. confugimus.

PARAGRAPHUS III.

Loci, & exempla Scripturarum hujus argumenti.

Loci, qui ad hoc referri poſſunt argumentum.

C*Ircumduxit eum* (Deus) *& docuit, & cuſtodivit quaſi pupillam oculi.* Deuteron. 32.

Conſcreſcat, ut pluvia doctrina mea. Ibidem.

Qui appropinquant pedes ejus accipient de doctrina illius. Deuteron. 33.

Obſecro, Domine, ut vir Dei, quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos. Judic. 13.

Docebo vos viam bonam, & rectam. 1. Reg. c. 12.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Pſ. 93.

Deus docuiſti me a juventute mea. Pſ. 70.

Exemplo didici diſciplinam. Prov. 24.

Si Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tamquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ. Eccli. 39.

Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Ibid.

In oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium, & diſciplinam. Ibid.

In medio Eccleſiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus Spiritu Sapientiæ, & intellectus, ſtolam gloriæ induit eum. Ib. c. 15.

Docuiſti populum tuum per talia opera; quoniam oportet juſtum eſſe, & humanum. Sap. 12.

Ipſe palam faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti Domini ſui gloriabitur. Eccli. 19.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſcitare eum, qui lapſus eſt, verbo. Iſai. 50.

Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis: & implevit eum ſpiritus timoris Dei. Iſaiæ 51.

Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina. Jerem. 3.

Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit Eccleſia. Eccleſ. 39.

Vos eſtis lux mundi: non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Matth. 5.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Ibid.

Exempla, & Figuræ ex Scripturis deprompta.

Viſio Iſaiæ Prophetæ applicata S. Bonaventuræ.

V Iſio, quam habuit Iſaias Propheta, & quam ſexto Prophetiæ ſuæ capite enarrat, mihi rationem aperit, propter quam S. Bonaventuræ Seraphici nomen inditum fuerit. Vidi, inquit Propheta, Dominum elevatum ſuper excelſum thronum, & Seraphim circumſeptum. Ad tale hoc ſpectaculum obſtupui, multo vero magis, cum unus ex illis Seraphim volavit ad me, ac tenens forcipe ardentem prunam de altari decerptam, illam appoſuit labiis meis, mihi dicens: deleta eſt iniquitas tua, vade ad populum meum. Circa myſticam viſionem hanc quæritur, cur Dei thronus ſeptus Seraphim, & quid ſignificaret pruna illa de altari deſumpta, qua expiata fuerunt labia Prophetæ? Reſpondetur officium eorum, quos deſtinat Deus miniſterio verbi, primum eſſe meditari magnalia Dei, ut illa cognoſcere diſcant, & cogitatione ſua uſque ad Divinitatis ſolium aſcendant, audituri laudes, quæ jugiter a beatis illis ſpiritibus illi deferuntur, ut ad illorum exemplum poſſint laudare illum coram hominibus, & divinas illius perfectiones annuntiare. Miſit Deus Seraphim, non autem alium quemlibet Spiritum, ad Iſaiæ labia igne expianda; neque enim ut utiliter apud populos loquaris ſatis eſt ſcientia præcellere, ſed potiſſimum opus eſt divino amore flagrare, ut ignem in cordibus accendere valeas, quod igneus ſignificat carbo: quomodo enim alios calefacere poſſet, qui in ſe frigidus eſt? Juxta hunc Prophetæ ſermonem facile eſt intellectu, cur S. Bonaventura meritus fuerit, Seraphicum Doctorem appellari. Elegerat illum Deus, ut doctrina ſua illuminaret, verbiſque ſuis, atque ſcriptis univerſam inflammaret Eccleſiam. Unius ex his ſpiritibus ope expiavit Deus labia, linguam, os prophetæ, atque tunc, non ſecus ac Propheta factus eſt Seraphim ardore ſuccenſum. Libere locutus eſt, omnibuſque veritates ſuas evulgavit, Regibus, Principibus, Magiſtratibus, Sacerdotibus, Levitis, populo. Ardor illius ſeſe effudit ſuper omnia opera ejus. Quidquid ſcribebat, erat Seraphicum, & ſi qui illius perlegunt ſcripta, & ardores ejus non ſentiunt inde fit, quia illi non cum iis, quæ requiruntur affectionibus, legunt.

S. Bonaventuræ calamus illi comparatus Prophetæ David.

S. Bonaventuræ opera tanto igne, ac fervore abundant, ut de eo dici poſſit, quod David Propheta de ſeipſo dicit *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* (*Pſ.* 44.) Si lingua eſt calamus ſcriptorius, calamus quoque lingua erit; unde ſequitur eum, qui recte ſcripſerit, rite locutum fuiſſe. Ut id innoteſcat, legenda ſunt Doctoris hujus opera, & conſtabit, illum optime locutum fuiſſe, & ex corde protuliſſe ignita verba, ita ut cum eodem Propheta dicere poſſit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Protulit os meum verbum bonum, & lingua mea eſt tamquam calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Ut hoc intelligatis, ſatis eſt videre Sancti hujus doctoris opera, in quibus deprehendere licebit omnia acutiſſima divini amoris jacula, quibus Seraphicum illius cor inflammatum eſt.

S. Bonaventuræ opera cum operibus primorum Eccleſiæ Patrum comparāda.

Patrum antiquorum legantur opera, & facile S. Bonaventuram in quovis ſenſu cum illis comparari poſſe liquebit. Quod enim ſcientiæ genus fefellit illum? Numquid quod difficillimum, & antiquis erat obſcuriſſimum non explanavit? Patres aliqua ne intellexerunt Myſteria, quæ & ipſe non explicuerit, quæ in novam lucem ipſe non protulerit? Numquid in morali diſciplina ulla de virtutibus, ac vitiis quæſtio eſt, quam non enodaverit? Numquid non expiſcatus eſt omnes Philoſophiæ latebras? Nonne, tamquam Hieronymi, & Auguſtini, doctiſſimis voluminibus Hereticorum objectiones diluit? Num aliquis fuit in gratiæ argumento nodus, quem non enucleaverit? Nonne cum Græcis quæſtionem inſtituit, ut pro virili eos latinæ Eccleſiæ conjungeret, quod illi in Lugdunenſi Generali Concilio benevertit? Quem errorem Sanctus hic Doctor, vel data opera, vel per tranſennam non impugnavit? Quem conſcientiæ caſum non decidit? Quem Scripturæ locum non explanavit? Eruditus velut alter Tertullianus, Theologus velut alter Auguſtinus, in ſacris litteris explicandis perſpicax, velut Hieronymus alter: Moralis æque ac S. Gregorius; lenis, ac ſuaviter ſe inſinuans æque ac S. Bernadus, videtur ea, in quibus ſinguli nituerunt, aſſecutus fuiſſe univerſa: *Intellectum quodammodo ſortitus eſt omnium.* Quis crederet tot ſcientias unius hominis mente capi potuiſſe?

Viſio S. Joannis in Apocalypſi Angeli poteſtatem habentis in ignem Sancto noſtro applicita.

Incomparabilis erat in amoris fervore S. Bonaventura. Narrat S. Joannes in Apocalypſi ſe vidiſſe Angelum de Altari egredientem, qui poteſtatem habebat in ignem: *Angelus exivit de altari, qui habet poteſtatem ſupra ignem.* Talis erat hic Sanctus, egrediebatur de altari tamquam Seraphim amore flagrans & igni imperitans; videlicet ejus tanta erat erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pietas, ex quo hauriebat efficaciſſimæ caritatis flammas, ut ceteros omnes igne eodem poſſet inflammare, eiſque cæleſtem hunc ignem communicare, quem Dei Filius adhuc quotidie affert in mundum in noſtras aras deſcendens. Sufficit illius opera legere, ut experientia teſte hac de re edoceamur. Singula ejus verba ſunt carbones accenſi, quibus incaleſcunt, ac incenduntur illi, a quibus cum proficiendi cupiditate leguntur. Patet, quid illi morti proximo contigerit. Cum ſacra refici Communione minime poſſet propter vomitum, quo prohibebatur; juſſit Hoſtiam ſanctam lateri ſuo applicari, quæ inaudito exemplo per ſe in illius ſinum aditum ſibi aperuit, & ad cor uſque penetravit. Manifeſtum profecto argumentum amoris, quo Salvatorem diligebat, & ab eodem diligebatur.

Applicationes quorumdam locorum Scripturæ huic argumento.

S. Bonaventura vere ſcientiam Sanctorum obtinuit, & quomodo.

D*Edit illi Dominus ſcientiam Sanctorum.* Sep. 10. Verum quidem eſt litteras numquam magis, quam hodierna die floruiſſe; Doctores in ſingulos dies geminantur, & fiunt æque ferme communes ac ſæculis recens elapſis rari erant, & infrequentes. Sed Sanctorum ſcientia numquam magis neglecta fuiſſe viſa eſt, cujus rei argumento eſt faſtus, quem plerique eruditorum in Cathedris, & cœtibus appetunt, & invidia, qua invicem laborant, & quæ paſſim non ſine ſcandalo erumpit. Quid ipſi ſcimus, quantumvis eruditi habeamur, ſi noſmet ignoramus? Si ignoramus ſcientiam, quæ Sanctos facit? Si ignoramus Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum? S. Bonaventura divinam hanc ſcientiam in paucis aſſecutus eſt, & dicere poſſumus, quod, *dedit illi Dominus ſcientiam Sanctorum*: quoniam & ita Doctus & ita Sanctus ſimul fuit; quoniam numquam præbuit ſpecimen doctrinæ ſuæ, quin ſimul præbuerit etiam virtutis ſuæ; & quoniam omnia ejus ſcripta magis ædificant, quam erudiant. *P. de la Colombiere.*

Divini amoris ardor luminibus, & cognitionibus quibuſcumque præferendus eſt.

Erat lucerna ardens, & lucens. Joann. 5. In encomio, quod Dei Filius tribuit Magno Præcurſori ſuo Joanni Baptiſtæ lumini præfert ardorem, quia re ipſa præferendus eſt. Ubi S. Bernardus egregie inquit: *Tantum lucere vanum eſt: tantum ardere, parum; ardere, & lucere perfectum.* (*Serm. de S. Joanne Baptiſta.*) Mera vanitas eſt ſcientia, quæ inſtat hominibus prælucere, ſi deſit caritas, quæ ædificat. Perfectionis apex in eo ſitus eſt, ut utraque conſocietur. Cum igitur S. Bonaventura Doctor Seraphicus vocatur, non fraudatur laude, quæ illius ſcientiæ debetur; ſed ſignificatur, ſcientiam ejus nequaquam ſimilem eſſe lapillis multum quidem fulgoris, caloris vero minimum habentibus; quos Lucifer, omneſque rebelles Angeli imitati ſunt, quia ſublimes quidem cognitiones nacti, amore, & ardore penitus caruerunt. S. Bonaventuræ Sapientia utramque hanc qualitatem habuit: lucens ſimul fuit, & ardens. Illuminabat, ſimulque fovebat. Sunt quidem Doctores, qui illuminant, qui propter eminentem ſcientiam refulgent; ſed hæc una qualitas inutilis eſt. Sanctus noſter ſimul habuit & lucem, & ardorem: lucem quidem propter præclaras mentis ſuæ cognitiones, ardorem vero in æſtu ſuæ Caritatis. Duplici hac eaque admirabili qualitate ſimul conjuncta, mundum

univer-

univerſum illuminabat, & inflammabat, & per utramque ad tantum perfectionis gradum pervenit; ut per quam optime de Eccleſia meritus fuerit.

Veritas, & lex Dei non ſolum in mente, verum etiam in corde eſſe debet.

Lex Dei ejus in corde ipſius. Pſalm. 36. Propria veritatis ſedes non eſt mens, hæc non eſt niſi veluti lumen; & hoc nequaquam ſanctificat. Veritas, & lex Dei manſionem habent in corde; quod ſedes amoris eſt, & qui quidquid in cor ingreditur, amoris fucum induit. Quanti mortales Dei legem habent in mente? ſciunt, & quidquid ipſi faciendum eſt, & quæ ſint aliorum officia; ſed hoc depoſitum eſt, quod ad actionem non migrat; cor enim manum ad agendum movet, & ad praxim impellit; cum omnes Domini leges, quæ in mente ſitæ ſunt, non niſi ad linguam tranſeunt, ut oſtententur. S. Bonaventura poſuerat Legem Dei in corde ſuo, ibi erat juſtitia, ibi caritas. Amabat, quod præcipiebat Deus, & illud ad praxim redigebat. Hic veritatis, & divinæ legis amor mentem illius illuminaverat; ita lumina, quibus mens illius illuſtrabatur, erant flammæ. Videbat veritatem, amplectebatur, & ſequebatur eam, & exercens, quod noverat, augebat & ardorem ſuum erga illam, & lumina ſua. In hoc Sancto Doctore fides per dilectionem operabatur, & tenera obedientia efficiebat, ut ſequeretur mandata. Dixiſſes, Deum in Sancti hujus corde legem ſuam inſculpſiſſe ab ipſa nativitate, tanquam in Adam innocuo. Se ipſum a teneris unguiculis ſanctificavit; nihilque valuit retardare, vel interpellare fidelem amorem, quem celatum ſemper geſtavit in corde propter Legem Dei ſui: *Lex Dei ejus in corde ipſius.*

S. Bonaventura conſecrat Deo primum uſum rationis.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. Pſalm. 118. Quam timendum eſt, ne nos primum rationis noſtræ uſum dicaverimus Deo! Per hanc nos vere vivere incipimus; quidquid rationem antevertit, ſomnus eſt, quo manente vita noſtra ſimilis eſt vitæ brutorum. Ubinam ergo ſunt, qui mundum ingreſſi per primum rationis uſum dixerunt Deo, ut olim S. Bonaventura: Præſto ſum immolari pro te? Ubinam qui primos obtutus ſuos in J. Chriſtum converterunt, ut David, & ſicut Noſter Sanctus Doctor? Experientia nobis ſatis oſtendit, quod Scriptura docet; voluptatem, vanitatem, ambitionem unum fere, & idem eſſe, & has ab utero matrum noſtrarum aberrare; re enim vera omnes affectiones noſtræ ex tunc cordibus noſtris dominari videntur. Spiritus, & cor adoleſcentiæ profecto ſimilis eſt navi, malo, velis, nauta, ac duce carenti, quæ fit ventorum, & procellarum ludibrium. Ceſſatne Satanas, ut auferat tanquam pretioſiſſimas manubias primas mentis cogitationes, & primos cordis uſus? Quanto nobis præſtitit S. Bonaventura? Non ſolum quod primis momentis illis, quibus ratio prodit, nihil eorum prætermittit, quæ ſuo Creatori debebat, ſed quod puriſſimis amoris ſui flammis conflagraverit.

Quænam fuerit S. Bonaventuræ ſcientia.

Dedit illi Dominus ſcientiam Sanctorum. Sap. 10. Quoddam ſcientiæ genus eſt poſitum in congerie quadam cognitionum inanium, ſterilium, & tumidarum, quæ cor non alunt, ſed exſiccant, ita ut poſt has eruditiones, non ſecus ac poſt pictum convivium eſuriat. Tumor plerumque ſolus eſt hujus ſtudii fructus. S. Bonaventura certiſſimus hujus periculi, precibus & humilitate hanc ſcientiam alit, quam in illo juſtitia, & caritas pepercre; & hoc illud eſt, quod conſtituit hanc Sanctorum ſcientiam, quam tantopere extollit Scriptura; quippe tradit modum adquirendæ Sanctitatis, aperitque cæleſtium & inviſibilium rerum momentum, ac neceſſitatem. Donum hoc intellectus, & luminis caritate referti in Sancto noſtro ab ipſa incepit infantia. Deus diluculo illum, tanquam alterum Samuelem erudiit, eumque in cognitione, & revelatione ſuarum voluntatum, & myſteriorum exercuit. In Cœnobii ſui receſſu vacabat Deo, meditabatur felicitatem poſſidentium illum, privilegia, quibus fruuntur animæ, quæ a mundo ſepoſitæ, & ab illius impedimentis expeditæ delicias ſuas nanciſcuntur in cæleſtium contemplatione. Ita Sanctus hic Doctor cognoſcens quidquid pro ſe, ſuaque ſalute fecerat J. Chriſtus iniit conſilium ſemet illi ſollemnibus votis obſtringendi, in nullam redditus ſpem mundo nuntium mittendi, & quotidie Crucem ſuam geſtandi. En in quo vere ſita ſit ſcientia illa, quæ Sanctos facit, qui quæcumque alia comparata nihil eſt aliud, quam tenebræ, atque confuſio.

Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Si nobis non aliæ Sanctorum ſupereſſent imagines præter eas, quas ſuarum virtutum nobis reliquerunt, male a nobis cognoſci poſſent, quoniam ſemper celarunt eximias dotes ſuas, & ea ſolum nobis cognoſcenda propoſuerunt, quæ illos coram hominibus dejicere poterant. Hic eorum honor erat, & gloria, quoniam ſemper Salvatoris humilitatem imitati ſunt. S. Bonaventura unum dumtaxat in Mundo bonum eſſe cenſebat; videlicet ſe ſe conformare J. C., humiliari, & contemni cum illo. Obtendebat quodammodo velum actionibus ſuis, omnibuſque egregiis dotibus ſuis per humilitatem, & nunquam ſe ſe videndum præbuiſſet, niſi ad proximi ſui ædificationem illi prodeundum fuiſſet. Etenim nihil illi magnum viſum eſt, præter te Domine; illi erat perſuaſum, omnia dona, quæ poſſidebat, non niſi ex liberalitate tua ſe recepiſſe; tibi uni laudes inde referendas eſſe, ſe vero per ſe nihilum dumtaxat habere, & peccatum; humiliationes ſuas ſibi recentes gratias obtinere; hanc viam eſſe, quam eidem oſtendiſti, ut veniret ad te. Illi perſuaſum erat, diſcipuli gloriam, atque profectum in eo eſſe poſitum, ut Magiſtro ſuo ſimilis fiat; Dei Filium pro ſuis non habiturum eos omnes, qui ſe ſe non humiliaverint; ac tandem Evangelium, cum ſit pars noſtra, cumque non aliud niſi humilitatem prædicet nobis, eos beatos cenſendos eſſe, quibus in partem hæc ſancta hereditas contigit.

Quomodo amplexus eſt Ordinem S. Franciſci, cumque elegit præ ceteris, ut humilitatem ſequeretur.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Pſalm. 83. Quinam S. Franciſci Aſſiſinatis virtutem aſſequi poſſet? Virtus ejus non ne ad eum videbatur perfectionis apicem pervaſiſſe, quo nemini adniti liceret? Quiſnam tantæ huic perfectioni par eſſet? Vita illius ita ſancta erat, ut non imitabilis videretur: Auſteritas vero tanta, ut pios etiam homines deterreret. Videbatur ordo ille deſiturus cum iis, qui eidem, vivente adhuc Inſtitutore, dederant nomen: Spes abjiciebatur, futurum ut Franciſcus ſucceſſores haberet tantæ auſteritatis, & pœnitentiæ non intermiſſæ. Attamen ſub hac regula decrevit S. Bonaventura traducere dies ſuos, *eligens abjectus eſſe in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Geſtat jugum Salvatoris ab ipſa pueritia, ac ſtatuit mortalium omnium amori, & memoriæ mori. Illic ſe occulit, atque ſe abſcondit tanquam vas prorſus inutile. Ita qui futurus erat vas electionis, Ordinis ſui ornamentum, & una ex Eccleſiæ columnis, doctorum virorum admiratio, & objectum exiſtimationis eorum omnium, qui veram diligunt pietatem, momento eclypſim patitur, hominum oculos fugit, ac ſe ipſum inutilem, ac atomo ſimilem putat. S. Franciſci Ordo fit Sancti hujus ſchola; ibi poſuit tyrocinium ſuum regulæ obſervantia; ubi Deum unice quærens, a ſancta illius Majeſtate obtinuit eminentium gratiarum uberrimam copiam, quæ vulgatiſſima eorum merces eſt, qui ſunt humiles corde.

Sapientiam cum pietate, quæ Sanctorum ſcientiam conſtituit, virtutes chriſtianæ ſequuntur.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Sap. 7. Sapientia fons eſt omnium donorum, atque virtutum. Hæc univerſas invexit in cor S. Bonaventuræ a primis annis; & prout Sapientia creſcebat in illo, reliquæ virtutes incrementum ſentiebant, & in illius corde, ut ita dicam, geminabantur. Ad magiſtri dignitatem evectus, cum ſecundum ſupra trigeſimum ageret annum, viſus eſt ad Sapientiæ verticem perveniſſe; hæc enim æque ac humilitas in eo mirum in modum emicabat. Dignus increatæ ſapientiæ diſcipulus, cum doceret alios, in ſublimi ea ſchola, quod aliis traderet, edocebatur. Itaque ſcientiæ magnitudo illi gravis non erat, illam quippe ſapientia, & profunda humilitate temperabat. Exemplum hoc intuemini vos, qui ſæpe alios edocendo ſapientiæ regulas, illas impune violatis; vos qui adeo immoderati, & affectibus veſtris adeo obſequentes videmini; & adeo parum ſolliciti, ut voſmet colligatis: vos, qui æque commoda omnia conſectamini, & quos nulla tangit jactura temporis melius in veſtrum metipſorum ſtudium inſumendi: vos qui ad prima ſubſellia tanto conatu contenditis, qui laborem odiſtis, qui requiem exoptatis, qui ea, quæ in mundo accidunt, undequaque colligere feſtinatis, qui id unum quæritis, quomodo Mundo placeatis, qui reformationem crepatis, & nunquam graviſſimas etiam noxas in vobiſmet videtis. A Deo hanc petite Sapientiam, quæ efficit, ut ſimul vitia omnia evaneſcant, & quæ ſimul virtutes omnes largitur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Auctorum, qui de hoc argumento locuti ſunt, & SS. Patrum, quæ ad illud referri poſſunt.

Q*Uid mirum ſi lucem ſcientiæ percipere ſubito poſſunt, qui per vitæ puritatem ſedes Sancti Spiritus ſemper ſunt?* S. Gregorius l. 4. in Reg.

Quale eſſet Sancti Spiritus donum ſi ſcientiam daret, & effectum magnæ caritatis non daret? qui enim illo ſpiritu replentur, cæleſtia prædicant, ſed quæ loquuntur, amant. Idem ibidem.

Verus humilis non vult humilis prædicari, ſed vilis reputari. S. Bernardus Serm. 16. Super Cantica.

Magnus unuſquiſque eſſe ſtudeat, ſed tamen aliquo modo eſſe ſe neſciat. S. Gregor. in Moral.

Oportet bona opera ſciendo neſcire; quia & recta hæc æſtimare oportet, & minima; recta, ut cuſtodiamus, & minima, ne inflemur. Idem l. 8. c. 17.

Humilitas eſt oculus animæ, per quam homo conditionem ſuam, ac ſtatum ſuum veriſſime recognoſcit; unde dicit Bernardus: humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui cognitione ipſi ſibi vileſcit. Albertus Magnus Serm. 3.

Non immerito doctores ſancti baſium nomine deſignantur; quia dum recta prædicant, & prædicationi ſuæ vivendo concordant, omne pondus Eccleſiæ fixa morum gravitate concordant. S. Gregorius in moralibus.

Illi vere doctores ſunt, qui cum per rigorem diſciplinæ patres ſunt, per pietatis viſcera matres eſſe meruerunt. Idem ſuper Cant.

Sententiæ Gerſonis Cancellarii Univerſitatis Pariſienſis de S. Bonaventura.

N*Eſcio, ſi unquam talem Doctorem, ut Bonaventuram, habuerit ſtudium Pariſienſe.*

Sufficit mihi hæc doctrina, ut quid ſtulto labore conſumor? multiplicentur potius, & tranſcribantur opera Doctoris ipſius.

Si quæratur a me, quis inter ceteros Doctores plus videatur idoneus; reſpondeo ſine præjudicio, quod S. Bonaventura.

Mul.

Multa ſcripſit, in quibus ſummam eruditionis laudem cum pari pietatis ardore conjungens, lectorem docendo movet. In Officio hujus Sancti.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad argumentum hoc promi poſſit.

Ut verus ſis ſapiens, ſtudio accedat oratio.

UT vere ſis ſapiens, ſatis non eſt, mentem appellare ad veritatis perquiſitionem, ad ſtudium Religionis, & cognitionem Dei. Chriſtianiſmi ſanctitas alium quoque in Doctis exigit officium, ſine quo cum Apoſtolo audeo dicere, eorum ſcientiam meram eſſe vanitatem; hoc autem officium eſſe orationis aſſiduitatem, frequens ſtudium J.C. crucifixi, & exinaniti. Ratio eſt, quia Chriſtianus non ſolum tenetur ſe ipſum erudire per ſcientiam, verum etiam ſeſe in ſcientia ſanctificare. Dicam amplius, ſine oratione, & J. Chriſti ſtudio nulla de Deo haberi poteſt perfecta cognitio. In uno J. Chriſto; dicit Apoſtolus, omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri continentur: ipſe unus venit, & intellectum contulit nobis, ut verum Deum cognoſceremus. Hoc poſito Chriſtiani ſcientia nequaquam collocanda eſt in numero, vel ſubtilitate rerum earum, quas ſcit, neque eſt ei de ſuarum cognitionum multiplici vanitate gloriandum. Si enim ea jactat, quæ ſcire putat; nihil ſcit adhuc eo modo, quo ſciendum eſt; ſcientia illius potius eſt perſonata ignorantia, quam perfecta cognitio. Oratio, & Crucis ſtudium Doctrinæ fundamentum eſſe debet. Cum Deus nobis ſapientiam ac fortitudinem ſuam per Crucis ſtultitiam oſtenderit; doctus cum gaudio haurire debet ſalutares aquas ſcientiæ ſuæ ex inexhauſtis fontibus Salvatoris: verbo, non aliam habere debet ſcholam, niſi crucem, neque magiſtrum alium niſi Jeſum Chriſtum crucifixum, neque ſtudium aliud, niſi illius vulnera & paſſiones, nec aliud denique objectum quam morientem Deum, ut vera ſcientia imbuatur, eaque imbutus ſanctificetur. Hæc fuit ars a Seraphico Doctore Bonaventura excogitata, ut ad hunc ſcientiæ gradum perveniret.

Temere ſcientia, & pietas adverſari creduntur.

Sufficit Sancti noſtri exemplum, ut liqueat, oppoſitionem, quam inter ſcientiam, & pietatem aliqui comminiſcuntur, chimæricam eſſe; & ſi quid efficit, ut raro duo hæc ſimul inveniantur, id neque ſcientiæ, neque pietati acceptum eſſe referendum; quandoquidem in neutra quidquam eſt, quod huic faveat ſententiæ; ſed tantum in uſum ſcientiæ, qui a Doctis fit, qui ut plurimum illam præferunt pietati, & accuratius novis luminibus mentem excolunt, quam pietate, & chriſtianis virtutibus voluntatem. Longiſſime ab hoc ſpiritu, & charactere aberat Seraphicus Doctor; cum enim toto cælo ſanctitatem anteferret quibuslibet, licet ſublimibus cognitionibus, quas ſtudio adeptus eſt; pietas, & devotio potiſſima erat illius cura; ſtudiis vero ſucceſſivas impendebat horas, quæ ſuis pietatis, ac religionis officiis ſupererant; ita ut omne ſtudium, operamque collocaverit, ut ſanctus fieret, antequam ſcientiam perquireret. Hac de cauſſa nihil unquam de ſuis devotionibus, ſive communibus, ſive particularibus imminutum fuit in ſtudium tranſmittendum; ſed ſæpe libros abjecerit, pietatis operibus vacaturus; tunc etiam cum vel majori præparatione indigebat, vel majoribus laboribus premebatur.

Chriſtiani perfectio ex D. Bernardo, in ſcientia, & Caritate conſiſtit.

Scientia ſine caritate mera vanitas eſt, cum Apoſtolo S. Bernardus inquit. Scientiam habere tantum parum eſt, quia tibi uni prodeſſe potes: ſed ſcientiam, & caritatem ſimul habere; doctrinam, & virtutem; lumina, & exempla; in hoc perfectio conſiſtit; nam poſtquam te ipſum ſanctificaveris, aliis quoque ſanctificandis conferre potes. Ad perfectionem hanc evocantur Sancti, quos ſecundum æterna ſapientiæ ſuæ decreta deſtinat Deus, ut ſint nitentia Eccleſiæ ſuæ ſydera. Vitæ illorum ſanctitas doctrinæ illorum puritati reſpondere debet, non ſecus ac virtutum numerus magnitudini luminum ſuorum, quandoquidem a Deo poſiti ſunt, ut erudiant, & ædificent; ut doctores ſint, & duces hominum. Talis extitit S. Doctor Bonaventura. Sicut Deus oblectatus eſt illum ſanctificare in ſcientia ſua; ipſe quoque curam ſuſcepit alios ſanctificandi in veritate. Extrinſecus ſapienter effudit lumina, & virtutes, quibus fideliter ſeſe intus repleverat. Quos ſermonum ſuorum vi movere non poterat, illos exemplorum ſuorum ſoliditate movebat. Verbo, vita, & doctrina illius erant conformes, & perfecte ſimul conſentiebant.

Qui proximo utiles eſſe volunt vitæ exemplum ſuæ doctrinæ præceptis adjiciant.

Admirabile ſecretum eſt, quod ex D. Bonaventuræ exemplo deſumere poſſunt illi omnes, qui vero aguntur zelo, ut ſe utiles præbeant Eccleſiæ, & Reipublicæ per ſcientiam, quam conantur adquirere; videlicet pietatem cum ſtudio conjungere, & confugere ad Deum, qui luminum Pater eſt, ac Deus ſcientiarum, ut loquitur Scriptura. Hic enim amicis ſuis hæc lumina ſcientiamque communicat, illis nempe, qui præ aliis devoti ſunt, ejuſque cultui propius adhærent. Illis ſæpe etiam hæc lumina impertit in præmium fervoris, quo ipſi deſerviunt; & veritas eſt nobis a Propheta David tradita, nobis accedendum eſſe ad Deum, ſi volumus illuminari: *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Et hanc rationem affert Propheta probaturus ſe magis illuſtratum fuiſſe præ coævis ſuis, quia nempe diligentius, quam illi divinam legem fuerat conſectatus: licet illi majori experientia pollerent: *Super ſenes intellexi, quia mandata tua exquiſivi.* Itaque falluntur, & errant, qui putant ſolo labore ſcientiam aſſequi poſſe. Hoc illis aliquando accidat e ſententia, eſto; ſed Deo laboribus eorum nequaquam benedicente, ſcientia eorum ſit ſterilis, ac nullum parit fructum. Sancti hujus exemplo percipere poſſumus, quantumlibet felix adſit ingenium in litteris addiſcendis, cæleſtia lumina longe plus ad doctrinam adquirendam conferre; & vera lumina nonniſi per pietatem, atque orationem obtineri.

Quid differat ſcientia labore quæſita ab ea quæ pietatis, & orationis eſt præmium.

Nobis perſuaſum eſſe debet magnum intereſſe diſcrimen inter ſcientiam labore, ac ſtudio quæſitam, & eam, quæ merces eſt precum, orationis, & ſecretarum, intimarumque communicationum, quæ in ſancta hac conſuetudine habentur cum Deo. Priori non ineſt ſecreta, & valida vis, quæ movet voluntatem; ſæpe non niſi inanem parit admirationem, non autem validam perſuaſionem. Multum quidem doctrinæ tumide oſtentat; ſed infrequentes gignit converſiones. Spiritus eadem repletus importunis diſſipatur evagationibus, quæ & mentem, & memoriam fatigant. Scientia vero, quam Deus precibus exoratus impertit, mentem non diſſipat, ſed colligit. Immobilis, tanquam Magdalena ad Salvatoris pedes, illam audis tranquille, eamque totam recipis corde. Tamquam alter Joannes ſuper J.C. pectus requieſcis, unde ineffabilia hauris ſecreta. Talis extitit prorſus divina S. Bonaventuræ ſcientia. Hac ſe replevit ad pedes Filii Dei; ibi collegit hos ſcientiæ, & ſapientiæ theſauros, quos tanta vi, atque ædificatione communicavit. Ibi anima ejus voci Salvatoris ipſam alloquentis intenta, iners tantummodo divini hujus Solis ardorem, & lumina recipiebat. Ibi importunæ evagationes magiſtri dignitatem, diſcipulique docilitatem reveritæ, ſinebant ut per otium inſignis hic Sanctus Cæleſti frueretur dulcedine, quam illi Dei Filius communicare oblectabatur. Itaque ſtatim ac Bonaventura ex divino hoc emergit commercio, & ad loquendum accedit, ex illius corde, lingua, ore prodeunt ignitæ ſcintillæ, quas a J.C. mutuatus eſt. Si loquitur, ſi concionatur, ſi hortetur, penetrat, evincit, inflammat. Si alicujus converſioni dat operam, ſimul imprimit, & metum judiciorum Dei & Sancti amoris ejuſdem ardorem. Si ſcribit, ejus Doctrina duplicem ſortitur effectum, illuminat, & nutrit, fulget, & fovet.

Quo in ſenſu & de quibus intelligendum eſt illud S. Pauli dictum, quod ſcientia inflat.

Spiritus imbecillos, parumque ſolidos inflat ſcientia: impura, ac terrena corda exſiccat; ſed prorſus contrarios gignit effectus, ubi alias invenit affectiones. Sanctis inſpirat contemptum ſuimet ipſorum, & amorem J. Chriſti: illos in humilitate confirmat, & in eorum anima parit fervoris inſtaurationem; qua in ſingulos dies magis magiſque ſanctificantur. Neque ideo dixeris ſcientiam Mundi alterius eſſe generis a Sanctorum ſcientia; ſed hoc inde fit, quod Sancti ſcientiæ naturam non corrumpunt, & norunt bene uti ea re, qua mundus abutitur. S. Bonaventuræ exemplum hac de re nos perſuadere poteſt; hunc non inflavit ſcientia; cor ejus ſcolaſticis ſtudiis exſiccatum non eſt; videlicet humilitas illius nequaquam ſuffocata fuit copia, & varietate pulcherrimarum, & ſublimium cognitionum; neque pietas ſua illum dereliquit in ſtudiis difficillimis, & jejunis; quoniam tueri novit profundam cum elatiſſimis ſcientiis humilitatem.

Scientia non adverſatur chriſtianæ humilitati.

Credendum eſt, ſcientiam humilitati chriſtianæ adverſari; ille quippe, qui ſe ipſum propoſuit humilitatis exemplum, omnes ſcientiæ theſauros poſſidebat, & Apoſtolus exigit, ut Evangelii miniſtri ad ſcientiam ſibi comparandam inſudent. Doctores nequaquam hanc in Eccleſia dignitatem tenerent, niſi ſcientiam cum humilitate conjungerent. Verum nihilominus eſt, ſicuti fœdus, & perfecta conſenſio ſcientiæ parum communis, & probatæ humilitatis in ſumma nominis celebritate, & in dignitatum, quibus ambitioſiſſimorum corda repleri poſſunt, fulgore, perraro invenitur; audeo tamen dicere, hunc eſſe inter præcipuos characteres incomparabilis S. Bonaventuræ; pauciſſimi enim utramque poſſederunt in ſummo gradu, propter quem inter eruditos ſimul, & humiles maxime enituit.

Scientiæ neceſſitas in Domini miniſtro ad alios erudiendos.

Eccleſia conſtanter docuit, ſe miniſtros requirere excultos ſcientia; neque mirum eſt quod cum a Sp. Sancto regatur, fideliter hac etiam in re, non ſecus ac aliis ſecuta ſit dogmata, quæ Divinus hic Spiritus nobis in Sacris Scripturis reliquit. Vetus conſulite teſtamentum: conſulite recens: Deus ſemper idem fuit, ſemper eodem pacto locutus eſt de iis qualitatibus quæ in altiſſimis Sacerdotibus requiruntur; & ſemper apertiſſime docuit Scientiam illi præcipue neceſſariam eſſe, qui in Sanctuarium cupit admitti. Neque per figuras, & ænigmata locutus eſt, ut tanti momenti nobis traderet veritatem: palam ſenſum aperuit ſuum: ita enim per Prophetam locutus eſt: *Quia repuliſti ſcientiam*, (*Oſee* 4.6) ait illis, qui Sacris initiari *appetebant*, *repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Videamus quo nomine Salvator idem miniſtros ſuos vocet, & liquebit, utrum ſcientia deſtituti ſuſtinere valeant auguſtum illud nomen, quo illos appellat: *Vos eſtis lux mundi*, illis inquit; *vos eſtis ſal terræ.* Sed quæ lux eſt Domini miniſter abſque ſcientia? quod ſal? inutile, & projiciendum, ut conculcetur. S. Paulus Apoſtolus deſcribens qualitates, quæ in Epiſcopis, & Miniſtris Domini requiruntur, palam edixit, eos pares eſſe debere, ut alios doceant; ſi minime pares ſint, fruſtra ſperant ſe adhibendos eſſe, ut alios erudiant. Ipſa etiam Eccleſia in quodam Concilio ſcientiæ neceſſitatem oſtendit, & docet Miniſtros ſuos non ſcientia minus, quam pietate

tate indigere. Eadem ſolertia indoctos repellit, qua peccatores; & quemadmodum diligentiſſime cavet, ne ſacris admittat myſteriis improbos & nefarios, ita pati nequit, ut inſcii, indoctique ſeſe hujuſmodi miniſteriis immiſceant.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

S. Bonaventura fuit Ordinis S. Franciſci Aſſiſinatis; & qua in occaſione devotus fuerit cultui Dei in hoc Ordine.

NEmo unus ignorat ex Seraphici S. Franciſci ſchola prodiiſſe S. Bonaventuram deſtinatum a Deo, ut quampluribus in cæli viam facem præferret, atque ut eorum corda ardore caritatis, quo ipſe æſtuabat, inflammaret. Dei cultui hoc in ordine a teneris unguiculis devotus fuerit, & occaſio, qua mater illius acta fuit, ut illum palam nuncupatis votis devoveret, ſatis oſtendit magna Dei de ipſo conſilia, & munus ad quod illum deſtinabat Providentia. Teterrimus morbus jamjam illum vix in hanc lucis uſuram ingreſſum ablaturus erat; cum pia mater filium ad extrema redactum videns, nullam in humanis opibus ſpem ſalutis intuita, confugit ad Deum, cui ſpopondit futurum, ut ſi filius hic unicus, eique unice carus ſibi redderetur incolumis per S. Franciſci interceſſionem, ipſa illum ex toto corde aris offerret, & libentiſſime ſe privaret gaudio, & conſolatione, qua affecta fuiſſet, ut frueretur altera videndi illum in Ordine Sanctiſſimo inſervientem Deo, cujus amorem, ac metum ab incunabulis illi cum lacte inſtillaverat: addebatque in precum ſuarum fervore, ſi minus primam filii ſui nativitatem votis, lacrimiſque ſuis obtinuerat, ut olim Samuelem mater; hoc tamen ſibi par fore beneficium, ſi aſſecuta fuiſſet illius vitæ reparationem, quam cultui Domini penitus dicari, devoverique cupiebat.

Noxia mundanarum matrum vota, vitam, & ſalutem filiorum cupientium, ut illos ſecundum Mūdi ſpiritum alant.

Hujus Sancti Mater hac in re longe diſſimilis a matribus mundanis, quæ filiorum ſuorum vitam cupiunt, ut illis inferant mortem, quæ vota nuncupant, ut morbis liberent, illos penitus mundo, ejuſque pompis ſacrificaturæ; quæ precibus ſuis Deo vim inferre velle videntur; & ex illius manu innocuas victimas revellere, ut inde totidem rebelles Domini victimas parent; quæ non alium habent omnium curarum pro filiorum ſalute, & incolumitate ſuſceptarum finem, quam illos ambitioni, & ſæculi vanitatibus reſervare. Si hæc genitrix pia filii ſui curationem expetiit, mens illius prorſus a mundanarum mulierum conſiliis abhorruit; quia illum ſimul tanquam Samuelem alterum pietati, & divino cultui devovit, eumque pœnitentiæ, & paupertati dicavit addicens illum Ordini S. Franciſci Aſſiſinatis. Itaque piæ hujus matris intentiones adeo acceptæ fuerunt Deo, ut votis illam damnaverit, & S. Franciſci preces in Bonaventuræ gratiam admiſerit; quapropter filius ſimul morbi vi liberatus, & matri ablatus fuit per validam Seraphici Patris interceſſionem. *Auctores varii.*

Benedictiones, quibus prævenit Deus puerum Bonaventuram, & hujus deſiderium adimplendi votum matris ſuæ.

Deus, qui Bonaventuræ firmam reddiderat valetudinem, ut ex eo gloriæ ſuæ faceret inſtrumentum, prævenit illum benedictionibus dulcedinis. Primus rationis ſuæ uſus fuit meminiſſe gratiarum, quibus fuerat cumulatus, ſibique legem irrogavit indeſinenter animo ſuo volvendi votum genitricis ſuæ, ut ſeſe ad illud implendum diſponeret ea præſertim ætate, qua animi cupiditates fervidiores, atque æſtuoſiores minorem relinquunt menti facultatem ad vitæ genus amplectendum, cum corrupta hæc ſæcula objecta majorem in cor noſtrum vim obtinent, & a quibus difficilius a mundo divellimur, ut Deo adhæreamus. Hac, inquam, ætate feſtinat Bonaventura votum, quod ſuum putat, fidem præſtiturus ejus devotionis, a qua ſemet exſolvere poterat, & ſacrificaturus ex juſtitia J.C. vitam, quam ex pietate dumtaxat ſua parens obtulerat. *Sermo MS.*

Progreſſus in virtute, ac ſcientiis ex quo Sancto huic Ordini adſcriptus fuit.

Palam probavit eventus, vota, quæ S. Bonaventuræ mater pro dilecti filii incolumitate nuncupaverat, exaudita fuiſſe. Hic benedictionis filius vitam recepit tanquam fax, quæ jamjam extinguenda reviviſcit, ut deinde vividiorem lucem effundat. Et profecto ex eo tempore incepit creſcere in ſcientia, & virtute, ut fieret dignus illius Ordinis Filius, cujus ſcientia, & Sanctitas ad hanc quoque diem non exiguum ſunt Eccleſiæ ornamentum. Sed Bonaventura humanarum litterarum ſtudium cum ſublimi caritatis ſcientia ita conjunxit, ut ſolum ejus exemplum evincere valeat, nequaquam generalem canonem eſſe, quo plus alteri tribuitur, eo plus alteri auferri, neque poſſe quemquam doctum virum eſſe, quin ſimul propriis meritis & doctrina intumeſcat. Sed hæc duo e contra mutuis firmari ſubſidiis, ac invicem ſibi opem ferre, ut facilius ad eam perfectionem perveniant, quæ utriuſque ſeorſim eſt propria. Fruſtra igitur objiciunt, ſcientia cor exſiccari, cum omnis attentio illis rebus impenditur, quas meditati ſumus, & quarum perfectam cognitionem adquirere conamur; quod eſt quoddam veluti diverticulum facultatibus animæ, quæ theorematibus, atque præclaris inventis occupata otium non permittit voluntati ſeſe effundendi in effectus, deſideria, & in eas cordi effuſiones, in quibus proprie devotio ſita eſt. Fuſtra jactant, gratiam fontem eſſe aquæ vivæ, quæ per duplicem variumque rivulum ſeſe communicat, videlicet per ſpiritum, & cor; & quo magis alter implетur, eo magis alterum vacuum remanere. Sin munus gratis, ſaltem ſine probabilibus argumentis aſſeritur, ſcientiam potius nos a pietate divellere, quam nobis ad eamdem aditum aperire. Fruſtra tandem adjiciunt, Deum libentius ſe iis communicare, qui recta pergunt ad ipſum, & qui eum in ſimplicitate cordis inquirunt; quamobrem S. Bonaventura dixit aliquando egenam mulierculam omni ſcientia, & doctrina vacuam poſſe amare Deum, quantum ſubtiliſſimus quiſque Theologus, & perſpicaciſſimus Doctor. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In Sanctum hunc Ordinem admiſſus ſtatim illius ſpiritum induit.

Vix Bonaventura adhuc puer in S. Franciſci Ordinem ingreſſus eſt, cum mentem ſuam replevit virtutibus Magni Inſtitutoris. Seipſum intuitus eſt tanquam hominem, qui mundo crucifixus eſſe debeat: & cui viciſſim crucifixus Mundus; tanquam hominem vocatum a Deo, ut conformis fieret imagini filii ſui; atque ex eo temporis momento inſculpere adniſus eſt in anima ſua omnia perfectæ hujus conformitatis lineamenta. Non ſolum ſpiritum ſuum ſcientia excolere cœpit, ſed emundare cor caritate; hac in re longe alius a Doctoribus illis, qui infinitis, iiſque curioſis & inutilibus perquiſitionibus abditi, mentes ſuas in præceps agunt, S. Auguſt. ait, ut tenuvium infimarumque rerum cognitionem adquirant. Econtra ſeſe ad immutabilis veritatis cognitionem evexit. Nitendi ambitio, libido eruditi famam aucupandi, impatientia magnam nominis ſui celebritatem adquirendi, nullam in Sancti noſtri ſtudiis particulam obtinuiſtis. Cum ille ſemet ſanctificare, & in doctum, ſanctumque virum evadere quæreret, orationi vacavit, & totum illius ſtudium fuit Crux J. Chriſti. Ad Crucis hujus pedes humiliabat ſpiritum ſuum, ut miſteriorum captum aſſequeretur, & cor ſuum emundabat, ut hoc ad eum excipiendum diſponeret. Hinc ille ſanctum ſibi comparavit habitum in preces vertendi quidquid cogitabat, & nunquam ſtudium ab oratione ſejungendi; ita ut cum ſtudium ejus eſſet orationis ſuæ fundamentum; oratio ſtudii ſui perfectiſſimum eſſet complementum. *Sermo MS.*

Bonaventura in ſtatu quem amplexus eſt, Crucem ſibi proponit tanquam objectum ſcientiæ, & votorum ſuorum.

Bonaventura Crucem in ſcientiæ ſuæ objectum, vitæque normam convertit. Omnem gloriam in hac Cruce conſtituit; profitetur ſe nihil aliud ſcire, quam J.C. & hunc crucifixum; quærit illius myſteria cognoſcere, intelligere virtutem reſurrectionis illius, & in partem vocari paſſionum ejus. Alia quælibet ſcientia illi videtur inutilis; omnia illi detrimentum videntur cum ſublimi J. C. cognitione collata, propter cujus amorem ſe rebus omnibus exuit. Hoc ille ſignificavit D. Thomæ Aquinati, quos inter familiariſſima intercedebat neceſſitudo; qui illius pietatem, ac doctrinam admiratus ab eo quæſivit, ex quibus auctoribus adeo præclaras cognitiones hauriret. Bonaventura talia quærenti Crucifixum oſtendit, innuens, divini illius Salvatoris vulnera totidem fuiſſe Magiſtros, quos in dubiis conſulebat, quos in difficillimis locis audiebat, & quos in deciſionibus ſequebatur. Ex fonte hoc ſcientiæ ſuæ elicuit principia, & luminum ſuorum ſubtilitatem. Hac arte impenetrabilia penetravit myſteria, altiſſima evolvit Religionis ſecreta, & admirabilem obtinuit in ſcientia, & pietate progreſſum. *Sermo MS.*

S. Bonaventura ſcientia ſua uſus eſt, ut Sanctior fieret.

Noſter Sanctus Doctor hoc ſibi perſuaſerat Scientiam Sanctorum hunc tenere, qui ſciret vitam ducere, ut illi, eorum virtutes imitari, per Orationem adhærere Deo; quod ſi abſit, ſcientiam non aliud eſſe, quam inanem curioſitatem: *Vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, (*Cap.*13.) ut Sapiens ait. Verbo; ſtudebat, ut ſeipſum ſanctificaret, atque ut magis, magiſque excitaret ſe ad amorem Dei per eas cognitiones, quas adquirebat, & quas omnes ad finem hunc referebat. Procul ab inexplebili deſiderio omnia ſciendi, quod efficit, ut lumen ardori, hoc eſt, ſcientia pietati præferatur, vel quod univerſa ſtudia ſua transfert ad eruditi hominis famam aucupandam, non autem ad majorem Sanctitatem adquirendam, & ob adhærendum Deo ſcientiarum, ut loquitur Propheta. Hic abuſus eſt, & malum, de quo ævo ſuo conquerebatur S. Bernardus, merito redarguens hanc inconditam aviditatem atque ſciendi intemperantiam (abſit invidia verbo) quæ efficit, ut ſcientia pietati præferatur etiam ab iis, qui ſeſe divino cultui devoverunt. Id genus homines, laudatus Doctor inquit, ſuſdeque miſcent ordinem, quem Deus in Eccleſia conſtituit, ubi vult eos, qui Doctores ſunt, & tanquam lampades in Eccleſia, ut aliis præluceant ardentes æque eſſe ac lucentes; & ideo lucentes, ut ſentiatur ignis, qui lucem eam parit: *Lucerna ardens, & lucens;* (*Joann.*5.) cum econtra plerique lucere tantum velint nitore doctrinæ ſuæ, & Oratorum famam captare ſæpe etiam cum detrimento caritatis, quam violant, vel cujus adquiſitionem contemnunt: *Volunt lucere, non ardere*, nullo in diſcrimine habentes virtutes, quæ hominem vere doctum & coram Deo, & coram hominibus conſtituunt, & lucem tantummodo quærentes, qua ipſi priores perſtringuntur, antequam ceteros perſtringant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

S. Bonaventura viam ſecutus eſt prorſus aliam a ſæculi eruditis.

S. Bonaventura viam prorſus aliam ab illa Doctorum mundi hujus arripuit: Etenim non ſolum prætulit ſemper pietatem, ac devotionem ſcientiæ, ſed etiam pietatem, & devotionem viam ſibi eſſe voluit ad comparandam profundam ſcientiam, in qua mirum in modum enituit; viam pleriſque doctis viris ignotam, qui ut ad ſcientiam perveniant, non aliam norunt, niſi laborem improbum, ac aſſiduam in ſtudiis curam; dies, noctelque tranſigere in lectione librorum, qui funditus de rebus pertractant, & denique per profundam meditationem expiſcari in hac naturalium, divinarumque cognitionum abyſſo, ut inde hauriant veritatem. Hoc totum illud ſecretum eſt, quod invenire valuerunt; ſi enim mediocri licet ſit ingenio præ-

præditus, ex eorum ſententia nonniſi pervenire dabitur ad terminum, ubi ingreſſus viam fueris, quæ illuc adducit. Alia Eruditorum illuſio circa ſcientiam, viam quidem illuc perveniendi arripiunt, non autem breviorem, neque tutiorem. Ubi primum per obedientiam Superioribus ſuis præſtitam intellexit S. Bonaventura, cuinam ſcientiæ ex Dei voluntate opera ſibi eſſet navanda, cum ex profanis litteris illud ſolum, quod neceſſarium erat delibans hac via ad ſummum luminis gradum pervenit, quo homini liceat aſcendere. *Idem.*

Admirabilis S. Bonaventuræ progreſſus in ſcientiis per pietatem.

Sanctus Doctor noſter divino adjutus auxilio, quod crebro deprecabatur, eo perfectionis evaſit in morum Theologia, & ea, quam Scholaſticam vocant, in Patrum lectura, & in reconditis, difficillimiſque veritatibus; ut habitus fuerit par illis tradendis in præcipuo totius terrarum orbis gymnaſio, cum vix quintum ſupra viceſimum ætatis annum attigiſſet. Hoc ſimile prodigio fuit, adeo brevi tantum profeciſſe, & in hoc ſtadio majorem progreſſum feciſſe, quam vulgo erit ditiſſimum quiſque in fine vitæ ſuæ. Sed ſciendum quoque eſt, illum, ut hoc aſſequeretur, tutiorem, ac rectiorem viam ſecutum eſſe, quam alii; viam autem hanc fuiſse coſtanti ſtudio pietatem, atque ferventiſſimam devotionem addidiſse. Hoc ille aperuit inſigni Sancto viro, Thomæ Aquinati, cum quo arcto amicitiæ vinculo, ac ſcientiarum commercio conjunctus erat. Hic enim Amicus, & Doctor adeo perſpicax admiratus ſublimes cognitiones, quæ in S. Bonaventuræ locutionibus, & Scriptis redundabant, illum obteſtatus ne ſibi diutius abſconderet, quod jampridem ſcire cuperet, nempe ex quo fonte ſcientiam adeo ſolidam hauriret, & quinam eſſent libri, a quibus tantas opes mutuaretur: Sanctus noſter nonnullos illi oſtendit, quibus frequentius uti conſueverat. Heu! non hos inquiro, ſubjicit, fidelis amicus: Hos equidem legi, neque ex his quidquam ſimile hauſi, iis, quæ abs te una in converſatione percipio. Hunc igitur mihi theſaurum impertire, quandoquidem inter amicos omnia eſſe debent communia; ſecretum, quod mihi aperies, pignus erit tuæ erga me ſinceræ amicitiæ. Ergo quoniam nihil inter nos occultum eſſe debet, ſubdidit alter, ecce pretioſiſſimum Bibliothecæ meæ librum, ſimulque illi Crucifixum oſtendit; me ipſo noſti melius in eo, quem repræſentat, omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauros contineri. Hic liber eſt, de quo loquitur Apocalypſis, qui intus & extra ſcriptus eſt; Verbum æternum, increata ſapientia: apertiſſima ſubliſſimarum veritatum expreſſio. Hic liber eſt, ubi brevi, & modico ſumptu omnes diſci poſſunt naturales, ac divinæ ſcientiæ, ubi condita ſunt altiſſima quæque myſteria. Liber hic extrinſecus ſcriptus eſt; plagæ, quæ ſunt in Corpore hoc adorabili, characteres ſunt. Incruentis hiſce characteribus lego amorem, quo me Dei Filius amavit; ſimulque amorem, quo illum proſequi debeo. Ibi video quidquid fecit, & ad unguem video quidquid me facere deceat: Morte illius doceor, qualis vita mea eſſe debeat. Magnus Apoſtolus, qui in Cælum raptus didicerat arcana verba quæ non licet homini loqui, huc tandem redit. Profitetur ſe nihil ſcire præter Jeſum Chriſtum crucifixum; & doctiſſimus erat, quia perfecte illi ſtuduerat. Ita, Pater mi, ſi quam in me vides divinæ hujus ſcientiæ emanationem; illius fontem tibi aperio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Pietas S. Bonaventuræ non obfuit ſtudiis ejus immo quam maxime profuit.

Ambigi nequaquam licet tantum abfuiſſe, quod pietas Doctori noſtro fuerit ſtudiorum impedimentum, ut fuerit etiam ars admirabilis, quam invenit, ut ad ſublimem hunc ſcientiæ gradum perveniret, propter quam omnes illam admirantur. Verum eſt methodum, quam in hoc ſtudio ſervabat, non ſemper eamdem fuiſſe: non ſemper cogitabat hunc hominem Deum Cruci ſuffixum, ſed aliquando etiam veluti in altaris Sacrificio immolatum meditabatur; & pietas ſua, qua actus frequentiſſime Sacrificiis aderat, vel etiam inſerviebat, non parum contulit ad Scientiam ejus, ſimulque pietatem augendam. Norat unum inter divini myſterii hujus effectus, quod antiquitus luminum myſterium appellabatur, eſſe mentem æque illuſtrare, & inflammare cor; quibus addendum eſt devotionem erga Deiparam non minimo fuiſſe illi ſubſidio ad finem eumdem. Recens illi ob oculos verſabatur exemplum in celeberrimo Alberto Magno, qui hoc pacto evaſit in virum ævi ſui omnibus in ſcientiis doctiſſimum; cum antea nihil omnino intelligere poſſet: ita ut quidquid devotionis ignem in Sancto noſtro alere poterat, ſimul mentem illius illuminaret, eique lucem quamdam afflaret, quæ nunnunquam palam in ejus ore emicabat. Dici quoque poteſt, ut illius pietas innoteſcat, orationem vulgo cum ſtudio confundere conſueviſſe; ſæpe enim in precibus ſuis a Deo ſcientiam petebat, quæ ſibi ad ſanctitatem adipiſcendam erat neceſſaria; & cum ſtudiis vacabat, id unum quærebat, quomodo fieret ſanctior, atque perfectior. Hinc ille paſſim flexis ſtudebat genibus quaſi ferventi orationi vacaret. Hoc in corporis ſitu aliquando inventus fuit a S. Thoma, dum Bonaventura glorioſi Patris S. Franciſci vitam ſcriptis mandaret. Attentio, qua ille meditabatur, quæ ſcribebat, non paſſa eſt, ut animum adverteret viſitationi, quæ ſibi reddebatur: quamobrem veritus D. Thomas, ne ſcribentem interpellaret, ea vice receſſit hæc proferens verba, quæ palam oſtendunt quanti amicum ſuum faceret: *Sinamus Sanctum pro Sancto ſcribere. Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Sancti noſtri cor adeo plenum erat caritatis ardore, ut ipſa ejus ſcripta in lectores ſuos ignem accendant.

Quemadmodum ſcientia & pietas mutuo ſibi lucem, ſubſidiumque afferunt; utriuſque hujus rei fœdus peculiariter Sanctum hunc Doctorem ab aliis ſecernit, ejuſque ſcripta æque reddit valentia ad inflammanda corda igne caritatis, ac apta ad erudiendas mentes de Religionis officiis. Hoc ipſum illi Seraphici Doctoris nomen comparavit, ſicut alibi dictum eſt, ad innuendum ſcientiam illius prorſus ſingularem extitiſse, & ardorem, quo cor illius æſtuabat, nihilo mentis luminibus eſſe inferiorem. Miraculum eſt, dicunt quidam vitæ ipſius Scriptores, quod tam brevi tantum legerit, & ſcriptis mandaverit: ſed non minus miraculum quod potiorem temporis hujus partem pietati, & operibus caritatis impenderit. Si loquitur in ſcriptis ſuis tanquam ſcitus, doctuſque Magiſter, nonne videtur, etiam Sixtus Papa V. ait, Sp. Sanctus per os illius eſſe locutus, & divinus amor ſeſe in omnibus verbis ejus exhibuiſse? Profecto ſi dilectus nos monet diſcipulus, non verbis, ſed operibus indigitari amorem, quo aliquem proſequimur: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua; ſed opere, & veritate*; (*1. Joann. 3.*) ab hac regula nonne excipi poteſt S. Bonaventura, quoniam ſingula illius verba vividæ ſunt expreſſiones ardoris, quo cor illius conflagrabat? Vel nonne aſſerere fas eſt ſecundum Evangelium, os ſuum ex abundantia cordis locutum fuiſſe? Et demum illum dei ſpiritu animatum de nulla re alia fuiſſe ſollicitum, niſi ut Deum amaret, alioſque ad illum amandum excitaret, in quo vera pietas conſiſtit? Talis erat S. Bonaventuræ pietas, quæ propter ſtudium non exaruerat, & quam officiorum multitudo, quibus indeſinenter premebatur, nunquam interpellaverat. *Idem.*

Profunda noſtri Doctoris humilitas.

Quod coram Deo magnum Sancti hujus Doctoris meritum, & argumentum elogii Sancti hujus conſtituit, illud eſt, quod humilitas ejus exæquavit hanc ſcientiam adeo ſublimem, atque profundam, quaſi ipſe pactum iniiſſet tantum ſeſe in conceptu ſuo ſubmittendi, quantum apud alios ingenii laude excellebat. Omnes luminis hujus fulgor perſtringit, ipſe unus id minime ſentit. Similis Moyſi, qui de monte deſcendens non videbat ſui vultus nitorem, quem alii intuentes ferre non poterant. Deſiderium quo flagravit ſeſe mundo abſcondendi, & aliorum oculos fallendi, effecit, ut S. Franciſci Ordinem ingrederetur, qui præſertim humilitatem profitetur, quemadmodum nomen ipſum indigitat. Ibi inter tot ſummos viros nitet, ac oſtendit ſe parem primis honoribus; ita ut ordo univerſus illum maximis muneribus explendis idoneum arbitretur: ſed Bonaventura nonniſi abjectiſſima conſectatur, ut pauperibus, ægriſque deſerviat, & ea ſibi depoſcit, quæ alii maxime perhorreſcunt. Jam par exiſtimatur, qui Doctoris inſignibus decoretur, ſociumque, & competitorem habet D. Thomam eadem die laurea donandum. Nonne expectatis quod duorum horum virorum concurſus aliquam ciet æmulationem, & æmulatio certamen pariat, uter prius admittendus ſit ea in occaſione in qua humillimi quoque ſibi licere putant jus ſuum perſequi, ſuumque locum tueri? Sunt jura quædam, & prærogativæ cum antiquitate conjunctæ, quas modeſtiſſimi, & minus ambitioſi aliis cedenda non eſſe putant, potiſſimum vero propter beneficia, & honores, quæ antiquitatis jure conferuntur. S. Bonaventuræ jus in quæſtionem minime vocabatur, ſed humilitas ſua obſtitit, ceſſitque ſuo competitori. Verbum hoc erga alium, vel alia in occaſione perferri poſſet; ſed hoc in loco nil quæritur aliud niſi uter alteri cedat, & ratus eſt S. Bonaventura palmam præripuiſſe, D. Thomam cogens, ut prior laurea inſigniretur. Hæc Sanctorum ambitio, ſeſe totius mundi pedibus, ſi liceret, ſubjicere. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Ejuſdem argumenti.

Neſcio quæ futura ſit mortalium ſententia de Bonaventuræ facto, qui locum ceſſit D. Thomæ competitori ſuo, ut uterque ſimul inſignia Doctoratus aſſequerentur: narrat quippe hiſtoria, Sanctum noſtrum primo admittendum fuiſse. Sed quin loquamur de naturalibus ſtudiis, quibus quiſque locum ſuum tueri quærit, & ſua aſſerere privilegia; quin verba faciamus de rationibus, & cauſſis, quas alterius cujuſquam ambitio ſuggerere voluiſſet propter gloriam Ordinis ejus, cujus geſtantur inſignia, conſiderari poteſt, hac in occaſione Sancti Noſtri humilitati certandum fuiſſe cum humilitate S. Thomæ, humilitatem S. Bonaventuræ infirmiorem fuiſse, eo quod jus penes illum erat, ideoque communem regulam illi contrariam fuiſſe, & nihilominus ipſum pervaluiſse virtuti hominis, qui nihil miſſum fecit, ut ſemet tueretur, & qui palam videbat ſolidam ſibi præripi gloriam, & coronam immortalem ſub ſpecie inanem præeminentiam illi cedendi. *Pater de la Colombiere.*

Theologiam docere jubetur.

Vix S. Franciſci clauſtra ingreſſus eſt S. Bonaventura, cum in eo deprehenſum fuit ingenium par muneribus maxime nitentibus, & ſimul cor avidum eorum, quæ humillima ſunt, atque obſcuriſſima. Quamprimum Pariſios miſſus fuit, quo omnes undique confluebant ad diſcendas ſub erudititiſſimis Magiſtris humanas, divinaſque ſcientias. Vix ille bis, vel ter audiit Alexandri Alenſis lectiones, cum par inventus fuit, ut alios erudiret. Ordo univerſus ex illa die cenſuit, illum in Præceptoris ſui locum ſuffici poſse, ac tempus jam eſſe illum provehendi in eam Mundi lucem, & exedram, ex qua dici poterat, illi ad Europam univerſam eſſe loquendum. Cœpit igitur palam explicare Scripturas, & ſententiarum Magiſtrum, eo eventu, quem ſibi quiſque ab illius ingenio, & labore promiſerat. Auditorum ſuorum qualitas, numerus, & plauſus brevi confirmarunt judicium, quod Superiores ejus de illius tulerant eruditione. Nomen ejus ubique inclaruit, neque intra Alpes ſeſe continuit. Septennio docuit, &

S. Tho-

S. Thomas, Angelus, & Sol Scholarum, oblectabatur aſſidue illum audire docentem, neque ſatis admirari poterat mentis illius lumina, ita ut diſceret ex ejus lectionibus aliquid, quod fruſtra in libris omnibus inquirebat. *P. de la Colombier.*

Aſſiduitas S. Bonaventuræ in obeundis perfecti cœnobiræ muneribus, ſe ſubjiciendo abjectiſſimis quibuslibet exercitationibus Ordinis ſui cum traderet Philoſophiam.

Quamcumque nominis celebritatem in Ordine ſuo ſibi comparaverit meritis, ac pietate ſua S. Bonaventura; nunquam ſe indignum ratus eſt, ſubmitti, ut Fratrum ſuorum minimo abjectiſsimam quamlibet operam præſtaret. Toto eo tempore, quo Pariſiis commoratus eſt, licet tot diſtineretur negotiis, quæ in dies percreſcebant, licet non modico indigeret otio, ut publicas lectiones elaboraret, ut ſingillatim reſponderet iis, undique ad ipſum tanquam oraculum influebant; ut ſatis faceret votis illuſtrium perſonarum vel genere, vel ſcientia, vel aliunde conſpicuarum, quibus jugiter obſidebatur: quamvis præter communem laborem aliquod ſemper magni momenti opus præ manibus illius verſaretur; & modo Ordinis Superiores, modo Summi Pontifices illius opera uterentur ad coercendos ſtatus religioſi, vel Eccleſiæ Romanæ inimicos: quamvis ſcholaſticis exercitationibus, prædicationis labor accederet, crederes ne, nihilo ſecius per annos ſeptemdecim nunquam defuiſſe quominus dimidium ferme diem in ægrotantium cura aliiſque domeſticis officiis impenderet? Mirum erat videre magnum hunc virum ab exedra ſua, ubi tanta cum nominis celebritate docuerat, recedentem abjectiſſimis domus officiis ſeſe immiſcere, & inferioribus etiam Miniſtris præſtare obedientiam. Quodnam ſpectaculum Angelis, & hominibus, cum Doctor hic eximius Principum virorum familiaritatem, ac ſubliſſimarum ſcientiarum ſtudia fugiebat, ut valetudinarium ingrederetur, & officium adeo abjectum hilari, magnoque animo obiret? Nonne videmini videre illuſtrem hunc virum, qui Lutetiam, Galliam, & univerſum terrarum orbem replevit ſcientiæ ſuæ fama, & ſanctitatis odore, hunc virum, qui lumen eſt Ordinis ſui, terror hæreticorum, & improborum, magiſter eorum, qui res divinas contemplantur, una ex Eccleſiæ Columnis; hunc virum, ad quem conſulendum ab extremis terrarum partibus accedebant; nonne videmini illum videre tanquam ex officio ægrotantium lectulis inhærentem, huic humilitatis exercitio ſucceſſivas horas, & vitæ ſuæ otium impendere? Conjicite ex aſſiduite, conſtantia, electione eorum morborum, qui facilius nauſam movent, & quos magis horret natura: conjicite, inquam, quanta in ſumma abjectione perfundatur lætitia. *P. de la Colombiere.*

S. Bonaventura electus in Generalem Ordinis S. Franciſci.

Deus, qui per divinam Providentiam peculiarem Sancti hujus Doctoris curam agebat, cum propter Eccleſiæ ſuæ commodum, tum propter ſui nominis gloriam voluit, ut in Ordinis totius Generalem Rectorem eligeretur. Electus autem fuit tanquam alter David præ reliquis fratribus ſuis, quia erat eorum minimus, ſcilicet humillimus. Merita ejus potius quam ambitio, virtutes potius, quam ſors, pietas potius quam favor, gradus fuere, per quos ad hunc apicem evectus fuit: quem etiam cum humilitate reſpuit; quia tanquam Samuel alter ſibi hominis vocem audire viſus eſt, cum Dei voce appellaretur. Sed tandem accepit ex obedientia locum hunc, quo ſe penitus indignum confebat, & quem alii, quia ſe eodem dignos arbitrantur, ſæpe occupare adnituntur plurimis artibus, ut immoderatæ ambitioni ſuæ ſatisfaciant. Quomodo tunc uſus eſt ſive ſcientia ſua, ſive pietate, ſive tandem auctoritate, ut iterum in Ordine ſuo pauper, humilis, pœnitens S. Franciſci ſpiritus refloreſceret? Modo Fratres ſuos zelo, atque ſcientia atque caritate referto contra calumnias inimicorum propugnat; modo quemdam ex Provinciarum ſuarum præfectis docet, Epiſcopos revereri, Sacerdotes colere, populos ædificare; ſuperioribus ſuadet vigilantiam, caritatem, atque diligentiam, inferioribus obedientiam, & humilitatem, omnibus inſtitutæ vitæ commendat incolumitatem. Modo velut murus aheneus adverſatur conatibus ambitionis, & cupiditatis, qui affectus clauſtrorum repugnant paupertati, & humilitati. Modo tandem intelligens mollitiem & indulgentiam Capitis plerumque fovere laxitatem in Religionibus, præcipit, ut ſevere in eos animadvertatur, quæ ſuavitas in officio continere non valuit. Quoties vitæ ſuæ puritas defectui ætati ſupplevit? Quoties actionum ſuarum ſanctitate eos lucratus eſt, quos correctionum ſuarum acredine mollire non potuerat? Quoties virtutibus ſuis in ordinem coegit, qui verborum ejuſdem auctoritati non conferant? Satis erat, ſi ſeipſum oſtenderet, atque proponeret, non ſecus ac Apoſtolus, aliis in exemplum, cum eſſet ille imago Jeſu Chriſti. *Sermo MS.*

Magna Bonaventuræ negotia in totius ordinis regimine nihil ſtudio vel pietati illius obfuerunt.

Magna illa negotia, quibus oneratus fuit S. Bonaventura poſtquam illi totius Ordinis ſumma demandata fuit, quod accidit anno illius quinto ſupra triceſimum, prædicationis labores, moleſtumque docendi, ſcribendique exercitium nunquam illum a communibus pietatis exercitationibus avocarunt; immo dicam hoc in munere illum palam oſtendiſſe, quantum ſibi cordi eſſet ardens illa, ac tenera pietas, quam ſemper antea coluerat. Satis eſt illius libros evolvere, ut hæc veritas innoteſcat: omnia ibi ſanctitatem inſpirant, argumentum, ſtylus, ſententiæ: ibi cor ejus loquitur, ſuoſque exprimit ſenſus. Dicitur ille trecentos, & ultra aſceticos ſcripſiſſe libros præter Commentarios in Biblia, & ſermones de Religionis noſtræ myſteriis. Hæc totidem ſunt devotionis, & pietatis ejuſdem monumenta, qua ſcatent illi omnes, qui nobis ſuperſunt. Quam acuta ardentis hujus caritatis tela in piis meditationibus ſuis non torquet! Quid magis tenerum, acre, & animatum, quam ejus cum Salvatore Crucifixo ſoliloquia! Diceres cor ejus colliquatum fuiſſe vi caritatis ardentis, quæ illud inflammaverat, non ſecus atque cor Sponſæ Canticorum. Quam devotioni teneritudinem non iſpirat in libro, quem Aculeum amoris Dei nuncupavit. Jure quidem hunc illi titulum appoſuit, nihil enim aptius eſt ad amorem Dei ciendum illis argumentis, quæ preſſiori ſtylo ibi proponit. Cetera illius opera ejuſdem præter propter ſunt characteris. Myſticus eſt, ſine exaggeratione, ſolidus ac devotus, quin in eas erumpat imaginationes, in quas lapſi ſunt nonnulli, qui eum imitari voluerunt; & quod ſingulare eſt, cum alii Myſtici auctores intelligi nequeant, neque in iis, quæ ſunt vulgatiſſima; hic econtra unctionem ſuam effundit in ea etiam argumenta, quæ abſtruſiora ſunt, & abſtractiora. Nihil magis ſolidum, & magis orthodoxum eſt, quam magni Sancti hujus doctrina, quæ ne tranſverſum quidem unguem ab Eccleſiæ ſenſu recedit; ſed diceres ſimul ibi retia tendi, ut ad pietatem animæ pertrahantur, qui quidem Sanctiſſimus illius ſcopus, & finis eſt. Huc ſemper tendit; undecumque arripit occaſionem iis, qui frigidiores ſunt, & languent, inſpirandi modo zelum gloriæ Dei, modo ſummam in divina illius miſericordia confidentiam, modo profundam erga ſupremam illius Majeſtatem reverentiam, præſertim vero extremam beneficiis illius gratitudinem. Verbo, hic Doctor pius eſt, qui ſtudet in cordibus ciere ſenſus pietatis, quibus ille repletus eſt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Opera S. Bonaventura Eccleſiæ præſtita inter ævi illius tumultus.

Fingite vobis, quinam erat Eccleſiæ ſtatus, cum S. Bonaventuræ ſcientia, & ſanctitate clareſcere incepit. Unitas Sanctæ hujus Sponſæ Domini Græcorum ſchiſmate oppugnata, & fere expugnata: diſciplina Cleri flagitiis labefactata, ac ferme extincta; caritas populi criminibus ſaucia erat, & exinanita. Fingite vobis Eccleſiaſtica bona, vel ab indignis poſſeſſa, vel a laicis per nefas uſurpata; abuſus, qui in conſuetudinem migraverant in Eccleſiis per mortem paſtorum in aliis, in aliis vero propter Epiſcoporum abſentiam: Denique Imperatores, & Chriſtianos Principes ob varias cauſſas diſſentientes, & Cardinales ipſos in diverſa abeuntes conſilia pro communi Eccleſiæ utilitate, & in Summi Pontificis electione. Hujuſmodi fuere mala, quæ torrentis inſtar Eccleſiæ faciem inundabant, cum Deus, cujus ſapientia ad illius incolumitatem invigilat, S. Doctorem noſtrum ſuſcitavit, ut pro viribus tot malorum curſum inhiberet. Et ſane quid ille intentatum reliquit, ut Orientis Eccleſiam cum Romana Sede conciliaret? Quid miſſum fecit, ut in Sacrorum Altarium miniſtris pietas reviviſceret? Quos non ſuſtulit abuſus in injuſta plurium beneficiorum poſſeſſione? Quot labores hauſit ut populos in pietatis viam revocaret? ut ex agro Eccleſiæ convelleret zizania, quæ inimicus homo ſuperſeminaverat? ut Epiſcopis, & Paſtoribus animarum perſuaderet neceſſitatem reſidendi iis in locis, qui curæ illorum fuerant demandati? Qua vi, & ardore Principibus Chriſtianis oſtendit, eorum pro levis momenti negotiis diſcordiam omnia ſcelerum genera in Chriſtianis imperiis fovere? Profecto ſi minus Sanctus hic Doctor omnia prorſus eradicavit mala, quibus ævo ſuo afflictabatur Eccleſia, merito affirmari poteſt illum plus, quam alium quempiam contuliſſe ad magnam illorum partem exterminandam.

Quanti fieret S. Bonaventura propter illius pietatem, & lumina?

Sæculum Sancti Doctoris noſtri ſæculum erat ſummorum virorum propter erudititiſſimorum Theologorum multitudinem, qui in mundo enituerunt. Albertus Magnus, Alexander Alenſis, qui Doctor irrefragabilis dicebatur; S. Thomas Aquinas Scholæ Angelus, Scotus Doctor ſubtilis, S. Antonius Patavinus, quinam viri! Quinam ſcientiæ fontes! quænam Eccleſiæ lumina! quin longe plures memoremus, quorum nomina, & ſcripta ad extremam uſque poſteritatem vigebunt. Gloria nihilominus, & celebritas tot virorum non offecit S. Bonaventuræ nomini, neque prohibuit, quo minus una inter præcipuas Mundi univerſitates litteratiſſimis viris, erudititiſſimiſque ingeniis affluens illum admirata fuerit, & tanquam nitidiſſimum ſydus ſuſpexerit: quo minus Alexander Alenſis, qui illius fuerat inſtitutor, confiteretur, ſe plura a diſcipulo didiciſſe, quam illum docuiſſe; quo minus D. Thomas frequenter ad illius audiendas lectiones ventitaret. Nomen ejus adeo celebratum fuit in Europa univerſa, & fama, quæ Alpes ipſas eſt prætergreſſa, illi in aula Romana conciliaverat dignitatem, quam non minus, quam Vaticani fulmina formidabat. Obtulit illi Clemens IV. Eboracenſem Archiepiſcopatum inter locupletiſſimos Angliæ, Eccleſiam illius regionis celeberrimam. Hanc ille renuit, ſed humilitas ſua ea in occaſione tantam eloquentiæ vim miniſtravit, ut Pontifex æqui, bonique fecerit cauſſas, quas ille attulit repulſæ hujus, vel potius colores, quibus uſus eſt, ut tantum onus deprecaretur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, & P. de la Colombiere.*

Profunda S. Bonaventuræ humilitas.

Sanctus Doctor noſter laudes, plauſus, & quidquid oſtentationem redolet, ita horrebat, ut horrorem hunc continere non poſſet, modo illorum conſuetudinem fugiens, qui illius ingenium plurimi faciebant; modo ſeipſum; ſuoſque defectus aperiens; & ejus libri non minus ſenſibus altiſſimæ humilitatis, quam teneræ pietatis redundant. Hujus ubique veſtigia reliquit: ita ut ſi ambitio, & opinio bona, quam habet quilibet de ſcientia ſua, doctos paſſim excæcat; econtra aſſeri poteſt, humilitatem quodammodo ſanctum noſtrum excæcaviſſe, & effeciſſe, ut ille in perſona, ſcriptiſque ſuis deprehenderet labes, & nævos, quos nemo videbat. Hic tamen alius

eſt

eſt virtutis gradus, quem S. Bernardus rariſsimum putat, hoc eſt in communi præclaraque exiſtimatione humilem de ſeipſo ſenſum fovere. Tandem enim inauditum non eſt, ut aliquis in tenebris, & caligine, cui non arriſit natura, humilis ſit, atque ambitionem ſuam intra eum ſtatum cogat, in quo eſt: quod vero inter honores, & dignitates, ad quas aliquem ſua merita, & communia extulerunt ſuffragia, non tumeſcat, & non putet ſibi deberi eos plauſus, qui majorem contemptum, quam reverentiam conciliant: hæc rara virtus eſt, quæ fere mortalium omnium admirationem meretur. *Rara virtus eſt, humilitas honorata.* Sed ubinam magis præclara virtutis hujus exempla reperies, quam in Sancto Doctore noſtro? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

Parum eſt, quod Ordo univerſus ſibi in Generalem doctum, humilemque Bonaventuram depopoſcerit; opus eſt ut illum univerſa colat Eccleſia, & tanquam Caput ſuum veneretur, vel ipſe Eccleſiæ univerſæ Summum Pontificem tribuat. Ita eſt. Non ſolum illi ſummus Pontificatus offertur, ſed quod ante eam diem novum erat, & inauditum, quod omni caruit, & carebit exemplo, tantum honorem detrectanti, uni illi Vicarii J. C. electio permittitur. Tres jam excesſerant anni, ex quo poſt obitum Clementis IV. paſtore ſuo viduata erat Eccleſia: & Cardinalium cœtus nondum in Succeſſore deligendo potuerat conſentire. Immo ita affecta videbantur omnia, ut nulla ſpes eſſe videretur futurum, ut diuturnis deliberationibus finis imponeretur. Interea tam diuturna anarchia officit Eccleſiæ, & plura eidem videtur mala allatura, quæ vix, & ne vix quidem plures Pontifices poterunt reparare. Ad preces ergo confugitur, cæleſte auxilium iterum expoſcitur, donec tandem Cardinalibus placet conſilium, quod non proficiſci aliunde poterat niſi a Spiritu, qui eorum cœtibus præeſt. Ad Præſulem noſtrum confugiunt, obteſtantur illum, ut Eccleſiæ regimen velit ſuſcipere, vel ſaltem illis dare ducem, tantæ huic Provinciæ ſubeundæ parem. Significant illi ſatis jam deliberatum fuiſſe; celeritate opus eſſe, & ſe ab illius zelo, atque integritate celerem, certamque reſponſionem expectare; ſe quidem cupere, ut ille ſibi acceptare vellet honorem ultro delatum, quo ipſum digniſſimum arbitrabantur; ſed ſe paratos eſſe, ut genu flecterent coram illo, quem ipſis illi indigitare placuiſſet. Poteſtne, quæſo, mortalis homo majorem, magiſque inauditum in terris honorem recipere! Video vos cupidos ſciendi humilis Doctoris noſtri reſponſionem propoſitioni adeo parum expectatæ. Non hæret ille in repellenda dignitate, quæ ſibi offertur, non refugit tamen Summum Pontificem eligere, ac oſtendere, ſe dupliciter dominum eſſe primæ coronæ totius orbis terrarum, quia & illam contemnit, & de illa diſponit. Non aſſumit ille ex inferioribus ſuis, quem ad Sancti Petri Cathedram evehat; qua re potuiſſet Ordini ſuo conciliare honorem, quem jam acceperat Nicolao, & quem deinceps in perſonis Sixti IV. Alexandri V. & Sixti V. recepit? Immo neque nominat aliquem e Sacro Cardinalium Collegio, a quo facta ſibi fuerat hæc electionis facultas; oculos conjicit in virum Sanctiſſimum nomine Theobaldum, qui plures annos latentem obſcuramque vitam agebat in deſertis Palæſtinæ. Summus Pontifex appellatus fuit Gregorius X. *Pater de la Colombiere.*

Idem argumentum aliter enunciatum.

Quemadmodum ſcientia nullibi magis, quam in hoc Sancto Viro fuit honoribus decorata, ita nemo magis coluit humilitatem, quandoquidem eo proceſſit, ut humiliationem diligeret, & præferret latebras, & contemptum ſplendori, dignitatibus, & rebus omnibus, quæ hominem ſuper ceteros poſſunt attollere. Citra hyperbolem loquor, & quin quidquam exaggerem; quoniam reipſa illi oblata fuit prima dignitas mundi, videlicet Supremus Pontificatus, & regimen Eccleſiæ totius. Neque inane fuit illud conſilium, ſed omnium Cardinalium electio, quæ Sancto viro præbuit occaſionem maximum humilitatis actum exercendi per repulſam illius dignitatis, qua non alia eſt in terris ſublimior. En quomodo ſe habuit res. Tres jam elapſi erant anni, ex quo Conclave pro Pontificis electione poſt Clementis IV. deceſſum coactum fuerat, quin inter illos de Succeſſore deligendo conſtare poſſet, & cum diverſæ partes eſſent æque potentes, nulla ſpei lux affulgebat fore ut brevi res componerentur, non ſine graviſſimo totius Chriſtianæ Religionis detrimento. Concurſum eſt ad preces, & vota, & Cardinales, inter quos convenire non poterant, ut ex numero ſuo aliquem eligerent, qui toti præeſſet Eccleſiæ, extra aliquem eligendum cenſuerunt, & oculos conjecerunt in humilem Franciſcanæ Familiæ Rectorem. Ordo hic jam quatuor Eccleſiæ Pontifices dederat, & univerſus Cardinalium cœtus cenſuit, neminem dignius locum hunc replere poſſe, quam illum quem Ordo ipſe ſibi in Caput depopoſcerat. Unum dumtaxat obeſſe poterat huic conſilio, quod nemo unus dubitavit, quominus afflante Sp. Sancto initum fuiſſet; humilitas videlicet hujus Præſulis, quem jam conſtabat tantum hoc honoris, & oneris detrectaturum. Conſultum eſt tamen, ut illi fieret optio, vel ſupremam hanc dignitatem excipiendi, vel eligendi eum, quem tanto muneri aptiſſimum crederet. Quid vobis videtur de hoc adeo ſingulari eventu? Fateor, huic quidem Sancto Doctori negotium non faceſſere non potuiſſe; qui nonniſi ægre ex tam difficili negotio ſeſe expedivit, quod ille reſpiciebat tanquam laqueum ſuæ humilitati poſitum; quia in honore ſibi oblato nullum intereſse putabat diſcrimen, ſive ille primum Terrarum ſolium obtineret, ſive in eo aliquem quemcumque vellet ipſe collocare. Utrumque profecto repuliſſet, niſi præſens cura, & ſtatus ad quem omnia erant redigenda, niſi celeriter conſultum fuiſſet, eum coegiſſent, ut flagitationibus cederet. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem ſequitur argumentum.

Si humilitas S. Bonaventuræ enituit, ubi oblatam ſibi Pontificiam dignitatem recuſavit, non minus refulſit in eo modo, quo ſe geſſit, ut alium eligeret. Non reſpexit enim carnem, aut ſanguinem, ut in Familia ſua recentem numeraret Pontificem, neque ut Ordini ſuo gloriam hanc procuraret, & eum inveniret, qui privilegia ordinis vel augeret, vel confirmaret. Neque amicum ſibi comparare quæſivit, qui tantam illi dignitatem deberet; ſed arbiter electionis adeo felicis, & primæ totius mundi Thiaræ non domi ſuæ, neque in Ordine ſuo quærit, cujus capiti imponat, ſed eligit eum, quem eadem digniſſimum putat. In ſolitudinis penitiori receſſu, & in Palæſtinæ deſertis ſanctum inquirit hominem, quem de latebris in lucem trahit ad hunc apicem promovendum, ejuſque electionis cauſſam prætexit, neminem a ſe illo ſanctiorem, ideoque digniorem agnoſci, qui hoc nomine, & hac dignitate inſigniretur.

Quomodo hæc S. Bonaventuræ humilitas in illius honorem ceſſerit.

S. Doctoris noſtri humilitas mercede non caruit. Supremus Pontifex Lugduni cogit Generale Concilium; venerabile Concilium ſive œcumenicam illius auctoritatem ſpectes, ſeu numerum Cardinalium, & Epiſcoporum, ſeu præſentiam Principum, & Legatorum utriuſque Imperii. S. Thomas etiam accerſitus fuit, ſed cum mors illum ſecus viam fuerit adorta, ejus anima in Cælum in centrum luminum, quibus in terris repletus fuerat, evolavit. *Diverſi Auctores.*

Quomodo Deus uſus fuerit humili Bonaventura pro Eccleſiæ negotiis?

Sicuti nunquam viſum fuit humilitatis, & integritatis exemplum illo admirabilius, quod nobis S. Bonaventura reliquit in facto celeberrimo, quod memoravimus, mirum non eſt ſi Deus, qui humilibus utitur ad gloriam ſuam procurandam, inſignem hunc Sanctum exercuit in difficillimis Eccleſiæ negotiis ut illum opponeret hæreticis ævi illius, ut errores, ac pernicioſos libros refelleret, ut Religioſum ſtatum propugnaret qui acerrime laceſſitus fuit, ita ut illum funditus evertere conarentur. Sed omnium operum illius glorioſiſſimum, illud ſaltem, cujus non minimam ille partem obtinuit, fuit Græcæ Eccleſiæ cum Latina conciliatio poſt Schiſma plurium ſæculorum, & poſt tot conatus, ut inter utramque de Sancti Spiritus proceſſione conſtaret. Gregorius X. Pontifex Sanctus, & zelo ſuccenſus non deſperavit ſe hoc conſecuturum, eaque in occaſione Eccleſiæ, & Religionis negotia in manu poſuit illius, qui ſicuti narratum eſt, ad S. Petri cathedram illum evexerat. Neminem cenſuit huic negotio pertractando aptiorem Doctore noſtro, cujus ſcientia omnes licet impeditiſſimas difficultates poterat enodare, quas Græcorum ſubtilitas objicere conſueverat, & cujus humilitas illos allicere poterat, & cogere, ut rationibus ſuis victas darent manus. Concilium Generale ad id Lugduni habitum eſt, & humilis Bonaventura coactus fuit accipere dignitatem Cardinalis Epiſcopi, ut majus robur, & auctoritatis pondus accederet tanti momenti tranſactioni; ubi licet ille reluctaretur, hæc ejus promotio eo modo peracta eſt, qui nullum ante id tempus, vel poſt habuit exemplum. Cœtus frequentiſſimus fuit; ipſe aderat Summus Pontifex, Orientis Imperator, Rex Arragoniæ, Legati omnium Principum, Eccleſiæ utriuſque Patriarchæ, Cardinales, ingens Antiſtitum, & Eccleſiaſticorum numerus, necnon Regularium ex omnibus Ordinibus. Sanctus noſter initium fecit; & quaſi adhuc Doctor eſſet, & Magiſter, fuit arbiter omnium diſputationum, omnium collationum, atque deciſionum. Græci victi quidem fuerunt argumentis, quæ S. Bonaventura protulit tanquam Theologus, & Doctor; ſed nonniſi ejuſdem humilitate victi arma abjecerunt. Eos S. Bonaventuræ ſcientia devictos fuiſſe univerſa teſtata eſt Eccleſia, ſed humilitati illius victoriæ gloria accepta relata eſt: quippe confeſſi ſunt, ſe adeo ſublimi ſcientiæ non poſſe reſiſtere, quæ cum tanta modeſtia erat conjuncta. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Doctoris mors poſt adeo præclarum facinus, & antequã Concilium dimitteretur.

Actæ ſunt immortales Deo gratiæ ob tantum hunc, & felicem ſucceſſum reconciliationis Eccleſiæ Græcæ cum Latina, cum Deus, qui cognoſcit terminos plenitudinis donorum ſuorum in Sanctis, voluit S. Bonaventuram remunerari. Obiit hic ante Concilii finem, & mœror, quem hæc peperit mors quamprimum intercidit lætitiam, quam vita adeo utilis Eccleſiæ pepererat. Hic locus eſset narrandi officia quibus illius memoriæ parentatum eſt; ea nempe quæ pietas, & grati animi ſenſus efflagitabant, cum Cardinalis in Concilio funebrem illius Orationem, vel potius Elogium protulerit. Sed ſatis eſt oſtendiſse vobis, ſcientiam ejus ad Crucis pedes hauſtam, virtutibus ejus roboratam, ac animatam zelo plurimum & hominum ſanctificationi, & Eccleſiæ gloriæ contuliſse. Magnus hic Doctor poſtquam per altiſſimam eruditionem ſuam uberes fructus tulit in Eccleſia, & coram Deo per inſignem humilitatem gloriam adeptus eſt, tandem ex humanis deceſſit, antequam abſolveretur Concilium, cujus anima, & Spiritus fuiſſe videbatur, & utraque Eccleſia feliciter ab illo conciliata certatim illius deſiderium teſtata eſt, & nemo in auguſtiſsimo Cœtu illo fuit, qui non non clamaret Chriſtianitatis columnam corruiſse, & Eccleſiæ lucernam extinctam eſse. *Cecidit columna Chriſtianitatis.* Communis dolor hanc querelam extorſit; nam quamvis hoc lumen ex hominum oculis evanuerit, tamen nitet in Cælo juxta illa Prophetæ verba: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* (*Daniel.* 22.) Scripta ejus, ipſo e vivis ſublato, Eccleſiam in omnia ſæcula illuſtrare non ceſſabunt, ſancta, ſaluberrimaque doctrina, & pii ſenſus in iiſdem effuſi, alent caritatis ignem, quem Dei Filius tulit in terram. Ita ut ad doctrinam, pietatemque ſimul adquirendam, non aliis voluminibus, aut eruditionibus eſſet opus, quam illis, qui in operibus illius continentur, quemadmodum pius, & doctus Gerſon teſtatur, qui magni hujus Viri admirator extaſſe videtur. *Auctores varii.*

Compendium virtutum, & actionum ejus.

Ad colligenda ea omnia, quæ de S. Bonaventuræ laudibus dicta ſunt, mirum nonne eſt hominem qui in prima Terrarum ſchola Theologiam profeſſus eſt, ea ætate, qua alii vix ſcientiæ huic ſtudere incipiunt, qui rejecit oblatum ſibi Archiepiſcopatum, antequam in Ordine ſuo Superior eſſet, qui ad honores ingreſſus eſt per ampliſſimam Ordinis ſui dignitatem, qui contra intemeratam aulæ Romanæ conſuetudinem re adhuc integra Cardinalis Epiſcopus creatus eſt; cui non ſolum oblatus fuit Summus Pontificatus, ſed quod nullus unquam Pontifex efficere potuit, de ſummo gradu diſpoſuit, qui ſe intentus eſt tanquam Oecumenici Concilii arbitrum, qui in cœtu ad quem arcerſita fuere præclariſſima terrarum ingenia refulſit tanquam aliorum Magiſter; hominem, qui ſemper habitus fuit in pretio apud viros Principes, a populo honoratus, omnibus, etiam inimicis carus, nonne, inquam, mirum eſt in tanta honorum, & laudum tempeſtate, quemadmodum illam S. Gregorius appellat, ſemper fuiſſe conſtantem, & ſibimet ipſi æqualem? Plenus fuit ſuavitate, plenus modeſtia, plenus humilitate uſque ad mortem. Mortuus igitur eſt magnus iſte Sanctus; qui profecto ſemper vivere merebatur, ſed quem mundus non merebatur diutius poſſidere. Mortuus eſt antequam celeberrima Synodus illa clauderetur; & dicere poſſumus nunquam viſum fuiſſe funus adeo magnificum. Omnes Præſules, omnes Cardinales, omnes Legati, omnes Principes, & ſummus ipſe Pontifex illum & aſpectu, & lacrimis ſuis proſequi voluerunt. Tota luctu perſonabat civitas, undequaque audiebantur ululatus Græcorum, & Latinorum, qui doloris ſui argumentum, & æquitatem ſignificare conabantur his verbis, quæ refert Hiſtoria, *Cecidit columna Chriſtianitatis.* Columna, firmiſſimum Eccleſiæ præſidium, corruit: Nitidiſſimum Religionis ſydus evanuit. Bonaventura, qui tandiu fortiſſimus ejuſdem extitit clypeus, qui nuperrime uni ex altiſſimis ejuſdem vulneribus fecerat medicinam; qui unus illam in primævum decus, ac florem poterat revocare, Sapiens, magnus, doctus, humilis Bonaventura fato ceſſit: *Cecidit Columna Chriſtianitatis. P. de la Colombiere.*

Prodigii loco eſt, quod Sanctus hic tot inter occupationes invenerit tempus tot libris ſcribendis, & devotionẽ ſervaverit ſuam in tãta negotiorum multitudine.

Mirum profecto eſt, hominem qui tres tantum ac quinquaginta vixit annos, qui in Religione duos ac triginta tranſegit: qui toto hoc temporis ſpatio ne momentum quidem liberum ſpiritum duxit, qui ſemper occupatus fuit vel tradendo ſcientiam ſpinis, ac difficultatibus plenam, vel magnum Ordinem moderando; qui tot elucubratus fuit ſermones in fidei myſteria, & Evangelicam morum diſciplinam, tot edidit ſcholaſticarum quæſtionum volumina, tot in Scripturæ libros Commentaria, hunc hominem, inquam, tempus nactum fuiſſe, quo tot aſceticos, trecentos videlicet, uti ferunt, libros conſcriberet! Illud vero multo admirabilius eſt, ipſum in tanta occupationum multitudine ſervare potuiſſe teneram, ac ſenſibilem devotionem illam, qua iidem libri diffluunt, & quæ ſummo labore, & difficultate in ipſa etiam ſolitudine comparatur. Satis eſt ejus aperire volumina, incomparabiles hos libros; devotio enim, quam inſpirant, ſtatim de Auctoris ſui pietate perſuadebunt. Videtur ipſe divinus amor in pleriſque eorum ſeſe expreſſiſſe, & oblectatus fuiſſe ſingulis verbis totidem pharetræ ſuæ acutiſſima tela abſcondiſſe. Tamen ex his operibus eruere non eſt animus præcipuum argumentum probandi ea quæ in magni hujus Viri laudem propoſui: neque aliquod vobis ſpecimen præbiturus pietatis ejuſdem mittam vos ad eximias meditationes illas, ubi reperimus adhuc ſuavia colloquia, quæ habebat cum Jeſu Chriſto crucifixo; neque loquar de illo Amoris aculeo, ita enim appellat, quem nemo legere poteſt, quin moveatur, & inflammetur igne, quem ubique effudit. Prætereo aureos libellos duos, quos Gerſon triginta annorum ſpatio non ceſſavit evolvere, & quorum breviſſima verba illi erant uberrimum meditationum argumentum. Legas ſatis eſt ſpinoſiſſimos illius tractatus ſcholaſticis tricis impeditiſſimos, ut tibi perſuadeas de tenera ejus pietate, qua æque, ac alias ipſius opera redundant. *Idem.*

Quomodo magnum hunc Virũ imitari valeamus.

Non omnibus profecto pervenire datum eſt ad profundam hanc eruditionem, quam Doctor noſter aſſecutus eſt; & ſane hoc neceſſe non eſt, neque id flagitat Deus: ſed nemo eſt, qui illius humilitatem, devotionem, & caritatis fervorem valeat imitari: ideoque ſi minime lucere poſſumus, ſicut hæc lampas Eccleſiæ, poſſumus tamen ciere, & alere hunc ignem, quem Dei Filius in cordibus noſtris accendit, & fieri ſaltem lampades ardentes. Hoc Sanctus ipſe Bonaventura dicebat, neminem eſſe tam rudi ingenio, qui non poſſet tantum amare Deum, quantum illum maximus quilibet Doctor amat. Et ſane quodnam conſolationis argumentum homini Chriſtiano, qui novit, quid ſit Deus, & dulcedinem, & utilitatem amoris ejus cognovit! Poſſum amare Deum, ac amare tantum, quantum præſtantiſſimi pietate viri illum dilexerunt; nihil me prohibere poteſt, non ingenii mei tenuitas, non affectio corporis mei, non negotiorum meorum ſtatus, non humilitas fortunæ meæ. Verum eſt me adquirere non poſſe hæc lumina, quibus placuit Deo Sanctum hunc cumulare, me non poſſe tantum ſcientiæ, gloriæ, & auctoritatis apud homines obtinere: ſed tantum amare poſſum Deum, quantum ille dilexit. Nil ultra poſco. Hoc unum erit mihi loco bonorum omnium, omnium honorum, rerum omnium. Licet omnibus bonis meis exuar, licet robur, & bona valetudo me in ætatis meæ flore deſtituant; licet vita mea ſit jugis mors; hæc eſt mihi conſolatio, quod Deum amare poſſum & eum tanto ardore diligere, quanto illum Seraphicus iſte Doctor amavit. Hanc ego ſcientiam aſſequi cupio; hæc ſublimis eſt, & ſupereminens ſcientia æque ac Caritas, quemadmodum teſtatur Apoſtolus; & ſicut illam nobis nihil poteſt eripere; nihil etiam prohibere poteſt quo minus illam adquiramus, & in illa perfecti evadamus; Et quoniam ſublimis hæc ſcientia nos Sanctos facit, & acceptos in oculis Dei, hæc eadem gloriæ noſtræ menſuram conſtituet. *Auctores varii.*

PRO S. LUDOVICI REGIS GALLIÆ PANEGYRICO.

MONITUM.

MAgnificentiſſimum, quod de S. Ludovico Rege, haberi poſſit elogium, eſt dicere, illum & Regem, & Sanctum ſimul fuiſſe; inde enim argui poteſt, ipſum vere inſignem Sanctum extitiſſe. Et profecto ut utrumque hunc titulum in eminenti gradu in ſeipſo conjungeret, hinc quidem ſuperandi fuerunt maximi ad ſanctitatem obices, qui in rerum conditione inveniuntur; inde vero ea, quæ Regni prærogativæ appellantur, videlicet opes, potentia, celſitudo, & magnificentia, cum humilitate chriſtiana, divitiarum contemptu, mortificatione aliiſque virtutibus, quæ Sanctos efficiunt, illi concilianda fuere.

Nihilominus hæc duarum rerum, quæ ſecum pugnare videntur, conſenſio non ſolum proprium conſtituit characterem ſanctitatis glorioſi hujus Monarchæ, verum etiam media, per quæ ſanctitatem aſſecutus eſt, Chriſtianas haſce virtutes in regias convertens, ac ſua utens dignitate, potentia, & auctoritate ad hoc, ut in ditione ſua ſubditiſque provinciis per juſtitiam, & pietatem regnaret Deus, atque ut ab infidelibus etiam hic agnoſceretur, & coleretur. Igitur ut æqua inſtituatur Sancti Regis hujus oratio, duplex hæc qualitas ſejungenda non eſt, neque recedendum eſt ab ea ſpecie, quam de vita illius nobis aſtruunt Hiſtorici; utque præclare nobis cedat opus in tam ſublimi argumento, poſtquam propoſita fuerit partitio, quæ duo hæc complectatur, exponenda dumtaxat erunt paullo eloquentius facta id probantia, & oſtendentia, duas haſce qualitates Sancti, & Regis mutuo ſibi facem præbere, ut inde moralis hæc veritas eliciatur, quandoquidem S. Ludovicus in regia dignitate ſeipſum ſanctificavit, nullam eſſe conditionem, ubicumque nos Dei Providentia conſtituat, in qua ſanctificari nequeamus. Si magnus hic Rex in aula florenti, & in ſumma poteſtate quibuſcumque voluptatibus perfruendi, ſemper Deo fidem ſervavit, quam prætexere cauſſam, aut obicem invenire poſſunt homines e populo, ne Chriſtianorum officia cum illis ſtatus, vel conditionis ſuæ ſimul concilient?